

V.Cl. Samuelis Koenigii, oratio inauguralis de optimis : Wolfiana & Newtoniana : philosophandi methodis earumque amico consensu

Autor(en): **Koenigius, Samuel**

Objekttyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1752)**

Heft 28

PDF erstellt am: **21.06.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394730>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

V. CL. SAMUELIS KOENIGII,

Oratio * inauguralis

de optimis,

WOLFIANA & NEWTONIANA,

PHILOSOPHANDI METHODIS,

Earumque amico Consensu.

Prior Pars exponit

RATIONEM PHILOSOPHANDI

a remotissimis Seculis ad nostra tempora deductam.

* * *

Dicturus sum *A. de optimis Philosophandi Metho-*
dis WOLFIANA & NEWTONIANA ;
earumque amico consensu : quod nobile &
late patens argumentum multiplex, & intime ta-
men cohærens, rerum copia partiri iussit. Itaque
ut

* Habita fuit hæc Oratio ad d. xxvi. April.
MDCCXLVI. quum Ord. Philosophiæ Professio-
nem in Illustr. Frisiorum, quæ FRANEQUERÆ
est, Academia solemniter auspicaretur: Publicata
deinceps Franequeræ MDCCXLIX. in fol. Persua-
sum vero nobis est, multorum desideriis satisfieri
posse, si hoc tempore eadem iterata editione in
manus hominum tradatur.

ut tantæ res accuratius explicari queant, de Ratione Wolfiana nunc : de Newtoniana proxime, vestra bona venia, acturus ero.

Antequam vero ad eam orationem venio, quæ est propria hujus argumenti; videntur ea esse refutanda, quæ à vituperatoribus Philosophiæ, maxime autem novæ cujusque, magna approbatione imperitorum vulgo jactari solent. Quo præjudicatis opinionibus sublatis, ipsam rem, de qua dicendum, plane videre possitis.

Negant multi boni, sed non satis eruditi viri, in tanta diffidentium Philosophorum varietate, veri unquam constituendi spem esse; neque ad melius, beatiusque vivendum, quidquam præsidii à Disciplina expectari posse in perpetua opinionum varietate summaque inconstantia versante.

Similem esse ajunt Philosophiam pulchræ feminae, quæ dum aliquo ætatis flore splendeat, amatores reperiat & admiratores quamplurimos: à nemine non avide illam spectari, Virumque volitare per ora. Mox supervenire aliam tantisper novo vultu se commendantem; illico tædere quotidianæ istius formæ; tanquam signo dato linq̄u istam, decurri ad hanc.

Atque hic longo ordine commemorantes, ruinam famæ antiquissimorum Philosophorum, amoribus Aristotelis: contemptum Peripateticæ gentis, furore Cartesii: solitudinem Cartesianorum, splendore Newtoni: serio conqueruntur turbas Philosophiæ LEIBNITIO. WOLFIANÆ nunquam

ut fatentur, cognitæ. Timenda inaudiri de nescio quo *Principio rationis sufficientis*, antehac inaudito: prodigia narrari de *Monadibus*, de *Mundis infinitis*, de *Essentia animæ & corporis*: in ipsa *Metaphysica*, atque disciplina *Morali*, *Demonstrationes geometricas* jactari: denique quod pietati atque fidei christianæ præsentissimum interitum portendat, doceri, *summe potentem Deum, nunquam non optimum posse & sapientissimum facere.*

Atque hos quidem crebros, magnis semper rumoribus conjunctos, philosophantium scholarum ortus atque occasus, cum vident hi boni viri, neque quo pertineant intelligunt, ingemiscunt huic tanto generis humani malo: proinde, ne quid sua culpa res humana detrimenti capiat, contra novum quemvis Philosophum præcarum opinionum cohortes confestim in arma vocant; eumque cum sua sapientia aut exulem esse, aut more Majorum, & vivere, & philosophari jubent.

Has tam antiquas ac pervicaces plebejas formidines, tametsi ex imperitorum animis dissipari non posse, tot ætatum experientia docuerit: pauca tamen in optima causa respondenda sunt.

Ego A. quemadmodum omnibus hominibus, sic etiam Philosophis, suam esse vanitatem atque inconstantiam, fateor; multa partium cæco studio regi; & a cultoribus rationis plurima interdum sine ratione administrari: Id quoque largior, non temere vetera in gratiam novorum deferenda; magnopere reprehendendum, illud destruen-

Arrendi potius, quam ædificandi studium; sæpe magnam inde confusionem oriri, justamque vituperandi materiam. Sed idem ego contendo, crebras has, toties miris querelis accusatas, Philosophiæ vicissitudines, tantum abesse, ut aut nullam, aut noxiam generi humano scientiam arguant, ut potius maxime aliquam esse & in ea continuos utilesque progressus fieri demonstrent.

Quid enim! censebimus A. fieri posse hac conditione humana, ut aliquid a tenuissimis atque obscurissimis initiis eductum, ad fastigium excel-sæ atque utilis perfectionis, aliter evehatur, quam identidem corrigendo, emendando, malis veteribus meliora nova substituendo? Illud *secundæ curæ meliores* nonne hoc ipsum significat, ad quamvis excellentiam per *viam emendationum* optime iri? quod ipsum tamen incautis reprehendenda inconstantia videtur. Discessus a veteribus, transitus ad nova, non tam inconstantiam, quam imbecillitatem ingenii humani arguit, illud *Optimum*, illud *Perfectum*, cujus imago mentem perspicacissimi cujusque continuo circumerrat & allicit, primo conamineprehendere non valentis. Tum demum recte levitatis a sui osoribus Philosophia postularetur, si quonam modo sine prætenta levitate illa, ad firmitatem fructibus ferendis idoneam excrescere posset, sapientes isti docere velent: in hoc certe sapientes, quoniam non suscipiunt, quod expediri non potest. Quid enim, nonne vident, nullam reperiri opificinam vilissimam, quæ non suas quotidie operum vicissitudines, artificiorumque successiones experiatur, magna vitæ communis opportunitate? Et quod

opifici ad incrementum suæ artis, sæpe nec difficilis, nec admodum necessariæ, omnium approbatione conceditur, id Philosopho, in tam obscura atque multiplici, rursus tam utili & ad omnem vitam tam necessaria arte versanti, pari modo non concedetur?

Vana gloria, inquiunt, novitatis mater est, sola hæc omnes, cum Sectarum, tum Dogmatum, modo triumphos, modo casus peperit. Hoc crimen facilius in hac causa objicitur, quam probatur AUDITORES. Detur enim vanos natura esse homines, omni genere vitæ varios, & novitatis appetentes; num propterea, eo sunt stulti, ut, quæ semel vera cognoverunt, rerum novarum studio, abjicere velint, & varietate delectati, incerta adsciscere nova, quam in veteribus certis perseverare malint? Dicant, quibus isthuc videtur, quæ tandem ratio sit, & quomodo fieri queat, quod tot ætatibus, nemo unquam Geometra exstiterit, qui ab Euclidis placitis, aut Archimedis discedere laudi duxerit & non potius dedecori. Scilicet Geometræ sunt isti sapientes, qui isto novitatis studio non tenentur, nullaque nominis gloria ducuntur; quos in tam obscura, tam salebrosa atque difficili arte, infinitos labores suscipere videmus, quo cum aliquo subtili, eodemque novo invento, conjunctam ingenii famam, posteritati commendent.

Non itaque merus novandi pruritus tot dissentientes Philosophorum scholas peperit; sed connatum homini verum percipiendi desiderium. Hujus enim, cum particulam alius, aliam, vicinis
erro-

erroribus, ut fieri solet, adjunctam, nascente scientia, arripiat: ista autem rationis infantia, germano veri criterio nondum constituto, sincera a spuris, certa via, etiam ingeniosissimi, discernere non possint, eamque ob rationem solidam se puramque veritatem tenere, quisque libenter existimet; quid mirum A. tot dispares philosophandi rationes, alia ætate laudatas, alia reprehensas, ex tam dispari cognitione enatas fuisse?

Sed quoniam philosophandum esse omnibus placet, nisi quibus omnino, & agrestibus, & injustis osoribus utimur; aut philosophabimur, quemadmodum possumus, aut omne hoc studium prorsus nobis abjiciendum. Fieri autem nequit A. ut ad veritatis arcem genus humanum ascendat, quin plurimi labantur, & rursus excelsa illa arx, tot stultitiarum, superstitionum, pravitatumque monstris vallata, expugnari non potest, nisi suo fato, antegressi meliorem fortunam sequentibus præparaverint. Quemadmodum autem in bene constituta civitate, monumentis & laudibus non carent, qui in acie pro patria occubuerunt; ita, quos in vero strenue quærendo, errorum vis vicit, quoniam in causa generis humani cecidere, nulla ætate sunt justis laudibus defraudandi. Itaque ut Medicos taceam, quorum nobilissima ars, inde ab Hippocratis temporibus usque ad hæc nostra, in perpetuo fluxu fuit; est ne quisquam, qui ignoret A. humanorum negotiorum reatricem Astronomiam, per longissimam hanc & inconstantissimam erratorum, insecutarumque emendationum viam ad excelsum illud fastigium sensim ascendisse, quo illam nunc con-

stitutam miramur? Noluerunt Astronomi diutius Ptolomaici esse, quales tamen plus mille annis fuerant; neque tamen hoc vanitate, aut inconstantia, sed consilio: crebro usu & experientia, optimis magistris, antiqui systematis nævos edocti: quos, quoniam haud facile aliter, quam longa ista errorum via, discere licebat, neque cum Copernico primum, & deinde Newtono, in rebus cœlestibus sapere hodie potuissimus, nisi tot per annos, diligentissimi illi cœlorum speculatores, infeliciter cum Ptolomæo errassent.

Quemadmodum itaque debitus honos antiquis Astronomis constat, judiciis peritorum, abrogatis licet eorundem decretis; ita simili modo, æqui rerum æstimatores, & Aristoteli, & Cartesio, suas laudes concedunt, tametsi Aristotelici esse, aut Cartesiani, prudentissime desiverimus. Etenim, nisi forte desipuisse existimemus A. doctam illam omnem antiquitatem & nupera secula, magnos hos viros fuisse, magnaue laude dignos, judicandum erit; præclaram etiam accessionem summis illorum ingeniis ad omnem Philosophiam fuisse factam, quanquam ad infantiam suorum temporum accommodatam. Præteritam quamque ætatem, vinci a postera, cognitionis copia atque delectu, requirit veritatum nexus & necessaria inventorum successio. At quemadmodum Archimedes, summum illum Syracusium senem, facile tirones Geometriæ scientia hodie vincimus, vi mentis nequidem principes superant; ita antiquos Philosophos, doctrina recentiores anteire debent, quanquam pares, studio, labore, & ingenio sunt judicandi.

Quod

Quod autem ad istos animorum motus attinet, nimiosque honores, quos claris Auctoribus, rationis eorundem æmulos, magno scientiæ damno, sæpe decrevisse comperimus, in quo loco reprehensores, contra quos dicimus, hærere, in eoque ad offensionem faciendam augendo, libenter habitare solent; næ illi nimis sunt iniqui, quod vitium omnibus artibus ac disciplinis commune, transferre in solam Philosophiam malevole invidioseque cupiunt. Quotumcunque enim litterarum genus reperitur, quod ab isto immodico cultu magnorum hominum fuit immune, cui non sæpe similia mala similis præpostera auctoritatis veneratio intulit? Nihil tam est naturale A. quam hoc vitium: secretis propriæ laudis stimulis, abripimur imprudentes interdum, quos eo in genere, in quo esse volumus, maxime probamus atque miramur; callidique laudandis Magistrorum virtutibus, nostrasmet haud raro studemus effundere. Sed hæc non scientiæ, sed hominum peccata, tempori, omnes concitatiores motus sedanti, sunt committenda. Quemadmodum scorias ab auro, ignis separat; ita tempus vanitatis inprimis edax, magnis Hominibus Apotheoseon mendacia abstergit, virtutes relinquit. Silentibus enim tandem longo intervallo, quæstum regno sectæ facientium, clamoribus commendatricibus & admirabundis, posteritas ad se rediens, sine amore & ambitione, & rursus sine odio atque invidia, pretium ingeniis justum fixumque, tanquam diu jactato nummo, constituit: non ex plebeie admirationis extrinseca mendace signatura, sed ex valoris intrinseci prudente & considerata æstimatione, debitum claris Viris honorem persolvens.

Quanquam autem confitemur A. a mediocri-
 tate in hoc genere plerumque aberrari, in pari
 vitio tamen omnia versari, minime est judican-
 dum. Sunt, quæ ridicula, incongrua, falsa, e
 longinquo spectata apparent, quæ propius in-
 specta, apta, congrua, vera, deprehenduntur.
 Nihil enim fit temere, multis ultro consentienti-
 bus, sine communi aliqua, eaque magna causa.
 Admiratione veteres in eas suorum magistrorum
 laudes, quæ nobis longo intervallo remotis, im-
 modicæ videntur, proruperunt. Sensus ignoran-
 tiæ admirationis mater est; in animis nostris hæc
 nascitur, quoties magna, incredibilia, quæ fieri
 non posse opinabamur, facta esse videmus. Lu-
 cula itaque illa quam tenemus, tanquam dato
 modulo, magnitudinem luminis subito allati, di-
 metimur; quod tanto videri debet majus, quanto
 nostram, quam istius mensuram facimus, mino-
 rem percipimus. Hinc non mirum, illo primo
 priscorum seculorum veri diluculo, tenuem sub-
 inde auroram, plenum diem videri potuisse, quæ
 ad splendorem nostri meridiei relata, prorsus dif-
 fugere & in nihilum abire videtur. Ad æstiman-
 das itaque & condigne laudandas magnorum ho-
 minum virtutes atque merita, temporum in qui-
 bus vixere infantia esset revocanda, eadem no-
 tiones resuscitandæ, eadem caligo animis circum-
 fundenda, verbo, corpore & mente in ista secula
 remigrandum. Quod cum effici, ne summa qui-
 dem animi contentione, satis vivide, clare, at-
 que expresse nequeat, non possunt non, nostra
 judicia de iisdem meritis atque ingeniis, a præte-
 ritorum temporum judiciis diffidere. Quæ ta-
 men hanc ob rationem minime vituperanda, quod
 ad

ad suæ non alienæ cognitionis modulum , singularis sibi que admirationem moventis excellentiæ , magnitudinem expresserunt.

Quidvero? dicemusne illos ipsos inconditos admirantium clamores & plausus, licet per se, magnopere Philosopho contemnendos, sine magno detrimento a nascente scientia abfuturos? Ego non putem A. Progerminant commoda ex incommodis in hoc mundo. Ille, sapientis imperatoris emblema in fabula, Leo, ne asinum quidem ab exercitu rejiciendum putabat, quoniam voce valens tubicinem agere posset potentem. Sic clamosa nihilque intelligens plebs, licet inutilis ad expugnandam veritatem, non tamen a philosophantium agmine omnino repellitur. Quod enim Philosophum maxime dedeceret, ipsa decore facit, buccina quasi classicum canit, hominesque non omnino socordes, ad videndum, audiendum, examinandum excitat: qui ad capeffendas scientias nunquam assurrexissent, nisi prius admirantium rumoribus expergefacti fuissent. Sic accepimus profecto, illud cœleste volumen principiorum Philosophiæ Naturalis Newtoni, per complures annos sine populari fama, fructuque delituisse, quoniam a nemine cum primum prodisset intelligi, neque pro dignitate commendari posset: at quam primum plebs Newtoniana admirabundas voces tollere cœpit, (accepit enim A. & hæc nobilissima familia, suam numerosam plebem, quod promptissima distractio quinque editionum, libri abstusissimi, Geometris principibus vix intelligibilis, satis declarat), dicto citius gloria nobilissimi operis, terrarum orbem

pervolavit, spiritumque experiundi, atque inve-
niendi in optimâ quæque ingenia effudit.

Eandem ego ob rationem, istos in contrarium
peccantes, multo magis noxios atque molestos
Hæretifices, qui impietates Spinosaë ubique odo-
rantur, ferendos, immo publico sumptu, tan-
quam canes catenarios, in Academiis utiliter alen-
dos censeo, quoniam fieri potest, licet centies
importune magno aurium supplicio sine causa
latrent, ut semel opportune moneant, domui-
que stertenti somnum excutiant. Accedit, quod
ea est socordia naturæ humanæ, & tarditas ad
gravissimas res, ut labor, studii tantisper severi-
oris, aut contentionis animi paullo productio-
ris, plerisque hominibus Hercules prorsus, at-
que longe omnium videatur molestissimus: quo
ut se quam ocyssime liberent, quæ auctoritate
multitudinis valere vident; veluti in commercio
nummum a civitate signatum; sine examine ala-
criter, publica fide, accipiunt. At quamprimum
rumor exit, adesse Paracharactas, adulterinam
monetam in publicum spargi, tum demum ter-
giversari omnes, tum negligentissimum quemque
atque supinum ante, nunc circumspectum in ac-
cipiendo, & attentum videas, lapide Lydio,
atque bilance curiose scrutantem, quo sibi suisque
a fraude & damno caveat.

Sed ne diutius hoc in loco vos detineam A.
concludo: pleraque ista vitia, toties atro impe-
ratorum carbone notata, eadem prudentia, a
crescente, sed nondum adulta scientia evulsum
iri, qua zizania a frugibus antequam maturuerint.

In-

Inprimis , quotquot veritatem extra omnem dubitationem tandem constitui cupimus , concedamus quæso aliquid philosophantium studiis atque fervoribus : cogitemusque , omnes illas gentes , quæ his incommodis vel profus vel magna ex parte caruerunt , aut nullam aut tenuem Philosophiam habere.

Valeant itaque cum suis terroribus panicis , isti quidem minime mali , sed nimis minuti & angusti viri ; qui ad quamcunque novitatem in Philosophia Hannibalem ante portas clamant : venatoremque veri vinculum tenere in antiquo systemate cupiunt , priscaque sapientiæ formulis , fatalibus illis humani ingenii ergastulis. Hi profecto si id contendunt , in vetere , ut longo usu probato , semper esse permanendum , idem mihi dicere videntur , ac si juberent domibus exstructis in antiquis speluncis habitare ; aut fruge reperta , prisca glande vesci.

Quorum rationem cum Illustrissimis atque Amplissimis hujus Academiæ Curatoribus , pro sua sapientia nullo modo probari , persuasum habeam , qui hanc litterarum sedem maximis semper beneficiis exornarunt , nihilque reliqui fecerunt , quod ad majorem excellentiam , cum docentium , tum discipulorum ingenia excitare posset ; non pertimesco novum munus auspicari , explicandis commendandisque duabus novissimis Scholis , quarum utraque majoribus nostris fuit incognita , & iudicio intelligentium utraque haud leve momentum ad melius accuratiusque Philosophandum fuit allatum : quod quo alacrius facere possim H. A. qua cœpistis benevolentia attendere pergite.

Prodeat

Prodeat itaque in medium, WOLFII primùm philosophandi ratio, qui *methodo scientifica*, quæ Geometrarum olim propria existimabatur philosophari jussit: quod institutum animo concepisse LEIBNITIUM, mirificeque adprobasse comperimus: ad quod perficiendum multa hi Viri subtiliter primum ingenioseque excogitata tradiderunt, & in qua sola methodo, dudum frustra quæsitam stabilitatem Philosophiæ contineri, maximis rationibus contendunt. Sed dignitas rei postulare videtur, ut totam hanc rem paullo altius repetam.

Quotquot unquam A. cum aliqua dignitate Philosophiæ Magistri fuere, discipulis methodos præscripserunt, quibus in inquirendo vero, eoque constituendo regerentur. Quis enim, nullis artis ratiocinandi præceptis tradendis, Philosophum se audeat dicere? In quo ipso, si optimum videre statim licuisset, dudum ab ista antiqua obscuritate & inconstantia Philosophia fuisset liberata. Quantum enim in milite, disciplina militaris virtutem, tantum in Philosopho, bona methodus ingenium juvat. Cujus quanta vis sit, hac nostra ætate maxime patuit, cum omnis longissima antiquitas, paucorum annorum intervallo, non ingenio, non diligentia, non philosophantium multitudine, sed efficacia methodi, superata fuit.

Accepimus equidem A. Socratem, quem Philosophiæ parentem Veteres dixerunt, nihil ipsum affirmantem, sed aliorum sententias sciscitando elicere, absurdisque consequentibus confutare solitum, hanc, ut optimam philosophandi rationem constanter tenuisse, qua, & verum com-
modis.

modissime reperiri, & errores facillime depelli possent. Habebat hæc ratio, multa orationis suavitate, multoque ingenii sale conspersa, quibus virtutibus ad miraculum pænè Socratem valuissent ferunt, magnos stimulos ad permovendum audientium animos, magnamque vim, homines rudes ad aliquam virtutem atque honestatem pertrahendum; in quo laudabili genere unice versari Socrates voluit. Sed ad inventionem difficilium, & ab intelligentia vulgari remotarum veritatum, inventarumque firmam constitutionem, hæc Socratica via inutilis prorsus atque inepta erat; quamobrem etiam omnem abstrusarum rerum investigationem, Socratem omnino posthabuisse, traditum est.

Derivata ab hoc per Platonem, eloquentissimum hominem, Academia; in eadem fere differendi ratione permansit. Fecit hoc tanto magis, cum Plato præeuntibus Heraclito & Pythagoræis posuisset, nullam in rebus quæ sensibus subjiciuntur veram, sed opinabilem solum cognitionem reperiri, siquidem mobilia cuncta atque concitata in hoc sensibili universo continenter fluerent atque laberentur. Sensus adeo hebetes nimium & tardos cernere id non posse, quod nunquam esset simplex, nunquam uniusmodi, nunquam denique tale, quale videretur. Itaque omnem veram stabilemque scientiam sola intelligentia contineri, remotamque a sensibus, in mente vivere, *hoc est* in Ideis puris atque distinctis versari.

Vere quidem sed obscure indicans, mirabile illud Philosophiæ arcanum, quod hi ipsi Philosophi,

phi , Leibnitius , Wolffiusque , primi aperuisse nobis , magnumque melioris Philosophiæ fundamentum posuisse videntur. Nempe , rerum materialium perceptionem quamvis in se complecti infinita diversa , sed sigillatim propter multitudinem , sensuumque angustiam , minime discernibilia. Hinc nasci intuentibus *Species* seu *Phænomena* , quæ rebus reapse non insint , licet reapse insint alia , ex quarum multiplici confusione , crebra , multifariaque in angustatis sensibus permixtione , oriantur. Quemadmodum enim ex tanto intervallo Lunam intuentes , in specie splendentis faciei decipimur , nisi cogitemus , nullo modo talem revera faciem huic globoso corpori inesse , sed solum inesse videri nudis oculis ; montes , maria , terrarumque tractus , unde ista maculosa facies existit , discernere non valentibus : sic pari modo , docentibus his , reliquæ perceptiones sensiles universæ , continua phænomena pariunt ; nobisque adeo , quasi per densam nebulam , veræ intimæque rerum sensibilibum naturæ , spectandæ offeruntur : mente quippe longiori intervallo a distincta intuitione ultimarum rationum , quam corpore a facie Lunæ remotis. Et in hunc fere sensum , Venus apud Virgilium Æneæ oculos aperit , & veram rerum faciem videre facit.

*Aspice namque omnem , quæ nunc obducta tuenti
Mortales hebetat visus tibi , & humida circum
Caligat , nubem eripiam.*

Sublime hoc A. metaphysicum Platonis dogma parum intellectum , sectatoribus fraudem fecit , & ad Scepticismum universalem , quo omnis in-
quisitio

quisitio fuit exstincta, infaustus dux exstitit. Et enim Plato, quod maxime debuerat, non satis planè indicavit, ut, nuper LEIBNITIUS, & pro more suo, multo apertius WOLFIUS; *mundum* hunc *sensibilem*, adparentiis circumfusum, promanare ex limitata perceptione *mundi intelligibilis*, veri, ordinati, in mutationibus suis constantissimi; quoniam rebus ipsis confusio reapse inesse nequit, sed tantum inesse videri potest. Consequi hinc, mundana cuncta, tametsi Phœnomena sint, seu *confuse perceptæ multitudines*; connexa tamen esse inter se; fluentia quidem, sed stabili ordine; certissimis quibus nascantur semper legibus adstricta: ita ut singula in alia simpliciora, ex quibus orientur, resolvi, & scientifice ex iisdem explicari possint: studio proinde & inquisitione artem condi posse, ex adparentia quavis, concursum causarum eandem generantium, certa & stabili ratione concludendi: verbo, constitui nihiloscilicet posse Philosophiam Naturalem, quamquam non perfectam, ad ultimas rationes penetrantem; sed certam tamen, licet limitatam, in rationibus proximis Phœnomenorum simplicium subsistentem: totam fere observationum, experimentorumque, principiis nixam.

Insuper hoc non agnovit Plato, *adparentias* istas rerum materialium, conjunctamque cum iis *opinionem*; ex notionibus confusis exsurgere; contra *veritatem*, & cum ea *scientiam*, ex notionibus distinctis: neque, quod caput erat, usquam docuit, licet præclarus Geometra, & gravis Geometriæ commendator, quo pacto *Scientia* efficiatur, definitionibus, axiomatibus, experienciis, demon-

stratio.

strationibusque ; sinceris , iisque unicis scientiæ instrumentis ; quoniam carebat Vir admirabilis , cuncta hæc recondente Theoria *Notionum distinctarum* , nuper inventa ; qua clausa verosimilia relinquuntur , certa autem & explorata incassum desiderantur.

Atque in hoc quidem perperam intellecto Platonis decreto , constituo ego A. fatalem istius miseræ cœcitatæ causam , qua Philosophia tot seculis afflicta , in eodem angustissimo gyro oberravit. Ecce enim non ita multo post in eadem Academia Arcesilam , quidquam omnino sciri posse negantem ; Carneademque , in facultate de quacunque posita re , extempore in utramque partem copiose disputandi sapientiam quærentem. Audax & impudens negotium , quod numerosam Scepticorum familiam peperit , quorum tota in eo consumebatur inutilis vita , & misera industria , ut omnem penitus menti lucem eriperent , & rebus clarissimis spissam noctem offunderent. In horum Scholis depravata prorsus atque corrupta philosophia , in quandam generi humano infamam gladiaturam fuit conversa. Addamus etiam , quod pessime his iisdem auctoribus , oratoria *persuadendi* facultas , cum Philosophiæ *convincendi* ratione , quæ genere diversissima , toto cœlo distincta oportebat , primum confundi est cœpta. Etenim cum in liberis quondam civitatibus plurimum posset copia dicendi , essetque summum eloquentiæ studium , & exemplo commoti Platonis & gloria , cupidissime Philosophi eam facultatem sequi cœpissent , quam plerique tunc inprimis admirarentur ; simulac ad hanc ætatis rationem accessit

cessit decretum Academiæ novæ, quod nihil omnino humana intelligentia possit comprehendere, nihil in rebus præter mera verosimilia reperiri, disputationibus in contrarias partes elicienda; factum est, ut dehinc spatia Philosophorum, non amplius veritatis indagatoribus formandis tam idonea, quam exercendis futuris Oratoribus accommodata viderentur: qui sane percommode, isto Academico more, contrariis probabilitatibus colligendis, iisque laudando modo augendis, modo vituperando rursus affligendis, insignem sibi copiam poterant & dicendi exercitationem comparare. Quod cum mirifice hominibus facundiæ appetentissimis placuisset, & magnus undique otiosorum concursus ad instructissimas concertationes paratorum hominum & ingeniosorum diu esset factus, sensim omnes omnium disciplinarum scholæ, seculi intemperie abrepti, ad hoc vitium deflexere: Sic corrupti Philosophi, subito probati Rhetores sunt facti: ex quorum certè dicendi officinis magni Oratores in forum prodierunt, quos miratæ sunt gentes: contra ex iisdem inopes, nudi, inermes & plebei omnino Philosophi proreperunt, à cunctis merito spreï atque irrisi: præter inutilem loquacitatem, & inanem locorum communium cantilenam, nihil ad rerum involutarum investigationem adferentes. Evanuerant nunc Thales, Democriti, Pythagoræ, Platonis; & tota illa vetusta mens inventrix, geometria imbuta, causarum & involutarum rerum indagatrix. In primævam caliginem revolvebatur philosophia, miseris his Declamatoribus rhetoricè eam in scholis ad obsequium vulgi latrare docentibus. Nec furere desitum est, donec, ut æquum

erat , res verbis labefactatæ , & verba rebus nudata , eodem casu conciderent.

Aristoteles quidem , licet ex hac eadem Platonis Academia profectus , eo quo pollebat acumine & ingenio , ad has levitates non est delapsus ; sed primus artem certa ratione viaque differendi & demonstrandi , a se investigatam , tradidit : cujus haud contemnendam partem , in hunc usque diem probatissimi Logicorum libri asservant : ut dubio carere debeat , quin , si pari ingenio fuissent in excolendis ratiocinandi artibus versati , qui in hoc studio Aristotelem sunt subsecuti , brevi ad horum dierum lucem evasura fuisset antiquitas. Sed optima quæque ingenia politiorum adhuc ætatum in transversum egit præposterum illud eloquentiæ studium , & verè Græcula , de quacunque in medium posita re disputandi , extemporalis audacia. Donec ultimùm ad Scholasticorum asperam gentem philosophandi munus , malo suo fato , fuit delatum ; quæ , cum perpetuam decrevisset Peripateticam servitutem servire , ad intelligendum Aristotelem aliquid , ad amplificandum atque suppetias serdum nihil conferre poterat.

Genuit tandem superius seculum melioris sapientiæ instauratorem , suæ gentis decus atque ornamentum **CARTESIUM**. Distincte hic Vir primus , ac intelligibili modo , de rebus philosophari iussit , & sui ingenii luce , si non plenum diem , attamen haud contemnendum diluculum , tam longam post noctem , in philosophiam reduxit. Nimum felix , si justam in reformando mediocritatem tenuisset ! Sed ut fieri solet ; quæ pravè vitio Scholast

laticorum in unam partem exierant , in contrariam immodicè reflectendo , parumque lente in constituendis gravissimarum rerum principiis festinando , ultra metam delatus , novorum errorum causa exstitit , homo cæteroquin magnus atque præclarus. Vidit is philosophiam a Scholasticorum tenebris pariter , Scepticorumque fluctibus esse liberandam. Itaque a dubitatione universali profectum ad veritatem eniti Philosophaturum jussit : fidenter sanè & ut videbatur præclare. Sed cum ducem se ad evidentiam professus , cynosuram notionum distinctarum non teneret , neque adeo Scepticismi demonstrationibus evertendi rationem docere posset , comitem ipsa itineris ingressione destituit. Celebratissimo enim suo veri Criterio , quo decrevit , ut quidquid clare ac distincte mens perciperet , verum certumque haberetur , quid effecit ? omnino nihil : nam neque docuit quibus notis signisque , claræ & distinctæ notiones agnosci , & ab obscuris confusisque tuto possint discerni ; neque quibus artificiis ista tam præclara distinctarum notionum facultas possit comparari. Hic ergo , quanquam magnæ perspicaciæ Vir , vim definitionum ignorans , intimamque demonstrationum naturam , maximis aulis excidit ; scholamque suam exili admodum atque invalida rationali Philosophia instruxit : ut , plus una concertatione , non mediocri Cartesianorum perturbatione , apparuit.

Revocata vobis in memoriam est antiquæ Philosophiæ historia A. Quid nunc ? parumne videtis , ut apud Homerum ; tot Heroes viribus

maximis, belli arte nulla, decem annis parvam rem gerunt; sic Philosophos, tam longo tempore, acerrimis ingeniis, labore summo, parum profecisse methodis destitutos? Quam multa secula disputationibus circa Criterium frustra consumpta! Diceres, expectasse ipsos, ut ostentum aliquod cuivis enunciato adjunctum inveniatur, quod auditum statim nos moneat, utrum verum enunciatum sit an falsum, ita mirabiliter de criterio disputant. Bone Deus, quanti ad omnem rem, ansa, consilium & prima operis designatio est! Intueamini Geometras, qui obscurissimarum & ab intelligentia vulgari remotissimarum rerum indagacionem susceperunt; quantos hi progressus & quam brevi tempore fecere, methodo gubernati? Reliquis disciplinis non moventibus, crederes Geometriam intus a Deo aliquo agitari, qui nusquam consistere illam patiatur. Nam cum Philosophia vix tandem in Græcia nasceretur, ecce antiquissimus Thales jam in cœlos penetraverat, & Eclipses prænuntiare didicerat: eadem paulo post vix de suis rebus balbutiente, duodecim Geometræ, Apollini ex Geometria sublimiori tentanti, doctissima voce respondent, cubicam Dei arcam duplicando: denique nihil percipi posse Academia pueriliter garriente, Archimedes Quadraturam Parabolæ percipit, & firmissimis rationibus omnem posteritatem simili modo eandem percipere facit. Non hi methodi artifices disputationibus de Veri Criterio se illigarunt, sed ipsum tantopere desideratum criterium suis demonstrationibus exhibuerunt. Quid? nonne decuisset Philosophos ad hoc prodigium maturè attendere, cum his habitare, & hanc rationem studiose ab

iis perdiscere? Quod si, antiquiores isti Sapientes, cordati homines, & aliqua Geometria eruditi minus fecerunt, quid est quod valde miremur? Dispersa Geometriæ membra nondum in corpus fuerant colligata, unum, aptum, consentiens; in quo formam convincendi, & quasi simulacrum stabilitatis, intueri liceret; neque etiam necessaria Logicæ elementa constituta habebantur, sine quibus recondita Veri Architectura intus perspici, & a materia Geometriæ mente disjuncta, ad alias disciplinas, scienter traduci non poterat. Præterea quam difficile A. & arduum fuisse putatis, primum a vulgo dissociari; sensus & imaginationem vincere; intelligentia & mentis oculo abdita in rebus principia generalia pervidere; denique methodum, rati certique effectricem, quasi animam ex figurarum corpore extractam, Philosophiæ inferre. Postquam Aristoteles eximium opus Organi scripserat, & paulo post mirabiles libros Elementorum Euclides, tum demum aliquid in hoc genere tentare licuisset. Sed summa hæc res, multorum repetitis conaminibus effici debebat, & alia laus philosophantibus placere cœpit, qui varii & populares, quam accurati & sublimes esse maluerunt: satis insignes, & suo & plebis iudicio Philosophi, cum eadem sapientia, de vero & falso poterant & de universa Philosophia garrere, qua Peripateticus ille Phormio, qui nunquam castra adspexerat, coram Hannibale de imperatoris officio & omni re militari, aliquot horas locutus fertur; quem cum cæteri qui audierant admirarentur, Hannibal omnium quos in vita unquam vidisset, delirantium senum principem jure vocavit. Hujus quidem perversæ consuetudinis causam, ex

optimo instituto promanasse reperio. Etenim cum illis temporibus, ut nunc, publice constituti virtutis doctores non essent, Philosophi, ratione a Socrate ducta, laudabili primum consilio, hoc munus populi erudiendi, nostris moribus Concionatoribus sacris delatum, susceperunt. Quod cum minus teneri Geometrico brevi & angusto concludendi more posset, sed multiplex & latum popolare eloquium requireret, desertis Mathematicis, Rhetoribus se totos dederunt, quo susceptam provinciam, quæ & plausus, & nummos dabat, magnificentius tuerentur. Cum itaque caste & prudenter utraque facultate, loco & tempore non uterentur, [ut melius olim Aristoteles, qui alio tempore exoterica disputatione vulgus; alio rursus subtili acroamatica ratione Philosophos erudire instituerat]; factum est ex communi scientiarum jugo, disciplinarum quæ conjunctissimæ esse debebant, pessimum Matheseos & Philosophiæ divortium, quo infeliciter, tam diu utriusque generis progressus fuit retardatus. Ab illo tempore invaluit communis & pervagata opinio, ad nostram ætatem perducta, methodum probandi Geometrarum, sua natura a Philosophorum differendi usu & consuetudine abhorrere. Quod de ista populari fusa ratione verum, de Philosophica inventrice methodo falsissimum erat. Neque hoc præjudicium, plebis solum & eruditorum de plebe animos occupaverat, sed diu etiam ita doctissimos tenuit, ut neque tantum errorem pervidere, neque de illo emendando cogitare potuerint.

Vir certe ex omni antiquitate & ingenio & doctrina summus, & in hac populari facultate
phi-

philosophandi, facile princeps, Cicero, scholarum communi opinione deceptus, alium Mathematicorum, alium Philosophorum morem esse, scribere non dubitavit. Geometras ex concessis atque probatis perpetuo ordine concludere solere, ut paucissimis verbis quæstio ad exitum perveniat. Philosophos contra sic agere, ut quamcunque rem in manus sumant, in eam quæ convenient, congerant omnia, etsi aliis locis disputata. Propriis enim argumentis & admonitionibus tractandam rem quamque, magnam præsertim. Vera sane methodus concionalis, ad intelligentiam communem accommodata: Doctorum multitudinis, de communibus ac pervagatis rebus persuadere; non Philosophorum, inventores informare, & certa omnibusque ætatibus profutura, tradere cupientium.

Inter recentiores autem, ne ipse quidem *Baco Verulamius*, Vir longe omnium ingeniosissimus; superiori seculo, magnificis de Philosophia instauranda consiliis clarus, vetus hoc (a) *idolum theatri* notavit, notatumque labefactare instituit. Nondum didicerat illa ætas, Philosophiæ robur & vitam societate cum Geometria contineri. Itaque hic insignis Scientiarum consiliarius, Geometriæ

O o 4

me-

(a) BACO in Operibus de *Augmentis Scient. & Novi Organi*, præjudicia *idola* ingeniose vocat, quæ distribuit, in *idola, specus, tribus, fori*, atque *theatri*. *Idola theatri* appellans præjudicia a *pravis Philosophandi rationibus*, & *perversis probandi moribus*, *menti humanæ inducta*.

methodo Philosophiam esse fulciendam, si unquam erigere se debeat, non est suspicatus; neque vidit infinitum Matheſeos uſum in exploranda natura, eumque ſatis pro dignitate commendavit. Quæ ejus ratio ſi apud poſteros valuiffet, fruſtra præclaris *Novi Organi* conſiliis mos eſſet geſtus.

Quanquam vero ætati noſtræ paulo propior Cartelius, ſua Philoſophiæ principia propter conſtantiam & geometricum nexum eruditis commendare ſtuduiffet, in antiqua tamen populari ſcribendi ratione permanniſit; donec hortatu rogatuque Merſenni, Exiſtentiam Dei geometrico more probare fuit aggreſſus. Fortunam res habuit exordiorum; ceſſit minus bene, judicio intelligentium: cauſa erat, ignoratio doctrinæ notionum diſtinctarum; & procax ſaſtidio Scholæ proſcriptio ſyllogiſmorum; maximam partem, ut nunc conſtat, criteriis continentium, ſine quibus nihil conſtitui, nihil recte demonſtrari poteſt. Fuit tamen hoc primum tentamen alicujus nominis, eoque hanc magnam & perennem laudem conſecutus eſt Cartelius, quod de ordine primus evidentiaque Geometriæ, in Philoſophiam transferenda, fuerit locutus, & alios ad magnam hanc rem perficiendam ſuo conatu excitaverit. Hujus enim exemplo & auctoritate commotus, Ben. *Spinoſa*, non ita multo poſt idem tentavit; infauſte, vitio definitonum: idem deinde alii aliter, diſpari ſucceſſu. Omnium diu conatus eluſit confuſio notionum, & imprudens ſyllogiſmorum rejectio; quo, inſigni ſlagitio admiſſo, nunquam poterat copulatio rationum ſequi & quaſi conſentiens ad ſtabilitatem ſcientiæ veritatum coagmentatio.

Hæc

Hæc cum ita essent, ad Philosophiam accessit
 GODOF. GUIL. LEIBNITIUS; homo supra
 fidem ingeniosus, qualem nulla ante ætas viderat,
 nobile naturæ prodigium, pæne dixerim, litte-
 rarum Julius Cæsar. Ecquod enim scientiarum
 genus hæc Mens non adiit? Ecquod non penitus
 perspexit? Ecquod sua non luce illustratum reli-
 quit? Hujus ductu Philosophia antiquos sensuum
 fines subito in immensum transgressa, mundum
 intelligibilem aperuit, & in ipso conspectu pene-
 tralium ultimi Veri castra posuit. Sed cum in-
 finita sint hujus Viri præclara & admiranda, hoc
 ejus in Philosophia palmarium, quod primus ve-
 ram notionum indolem, à cunctis dudum quæ-
 sitam, à nemine inventam, felicissime patefecit;
 quæ nobilis doctrina, maximarum molitionum
 Philosophiæ Germanicæ, quasi lapis angularis
 facta.

Recruduerant vehementius post medium seculi
 superioris, antiquæ lites, de Criterio veri multa-
 que disputabantur de veris & falsis ideis, occa-
 sione jactati principii Philosophiæ Gallicæ, *quid-
 quid clare ac distincte de re aliqua percipio, illud est ve-
 rum, seu de illa re enuntiabile*; quo cum mire abu-
 terentur Cartesiani, ad stabilienda quævis sua por-
 tenta, solo hoc titulo, quod eorundem claras
 atque distinctas ideas experirentur; jure sæpius
 quæsitum fuerat, quænam tandem *clari* at-
 que *distincti* certa esset assentiendi nota, & quo-
 nam criterio, falli nescio, idea vera posset à falsa
 seu deceptrice discerni. Hanc celebrem contro-
 versiam Leibnitijs tanquam arbiter honorarius

componere cupiens, Meditationem de *cognitione, veritate & ideis* emisit, mole parvam, siquidem pauculis pagellis inclusam, fructu cunctis superiorum spissis voluminibus anteferendam; cujus rei primam imaginem ex libris (a) Opticorum hausisse videtur. Nam eadem natura, quæ in hunc unum

(a) Terminos *clari, obscuri, item, confusi, distincti* opticos esse, nemo non novit; cum itaque propter similitudinem quandam a visione ad notiones fuerint translatae, hæc ipsa procul dubio ansam dedit investigandi, quænam, perceptionibus sensualibus visione ortis, reliquisque perceptionibus universis communia, insint. Cartesius terminos clari & distincti retinuit, sed definire accurate non potuit. Immo constat, notionem *claram ac distinctam* in Philosophia Gallica nihil aliud fuisse, quam quod nunc in Philosophia Germanica, nomine *notionis claræ sed confusæ* venit; Leibnitium Opticorum definitionibus ad hanc investigationem ductum fuisse, plusquam probabile fit, collatis Leibnitianis definitionibus notionum, cum definitionibus visionum Opticorum. Petr. Herigonius Tom. v. *Curs. Mathem. Def. x.* sic. Clara visio est, *cum res videtur quasi in multo lumine: obscura, cum illa videtur quasi in tenui lumine.* Sed ut nemo ignorat, copiosum lumen efficit ut res visa facile agnoscat; tenue, ut illa non agnoscat. Hinc Leibnitius definivit, notionem *claram*: quæ sufficit ad rem repræsentatam agnosendam, & ab aliis similibus discernendam: *obscuram* vero, in qua contrarium obtinet. Rursus

unum omnes ingenii dotes effundere voluisse videtur, eidem dederat mirabile acumen & rarum, pervidendi generalia in singularibus, & ex rebus obviis atque communibus, à doctissimis sæpe contemni temere solitis, principia extrahendi, specie vulgaria, usu inexpectata, atque admiranda.

Def. XI. idem Herigonius: Distincta visio est, in qua partes rei subtiliores elucet, & in conspectum veniunt: confusa, in qua partibus majoribus apparentibus minores latent, & veluti obliterantur, confusis inter se terminis. Leibnitius vero: notionem claram insuper distinctam esse, in qua notæ intrinsecæ, rei agnoscendæ & ab aliis discernendæ sufficientes, discerni queant: *confusam* vero, cujus notæ intrinsecæ sigillatim discerni & enumerari non possint; licet totum ab aliis similibus discerni possit. Hæc comparatio notionum in genere, cum perceptionibus visualibus in specie, & consensus definitionum Philosophiæ cum Opticis, non solum jucundus est, sed auctoritatem etiam haud levem huic Theoriæ conciliat. Attamen hoc longe momentosissimum: quoniam ex opticis constat, visione confusa, sub alia facie objectum cerni, quam quæ illi reapse inest, & sub qua visione distincta videretur; consequens est; simili modo omnem notionem confusam fallaci aliqua specie esse indutam, quæ rei repræsentatæ reapse minime inest, perceptione distincta extemplo dissolvenda. Adeoque his recondita notio Phænomeni mirifice illustratur; qui gravissimus locus Philosophiæ Germanicæ est, quo pleraque ardua ejus capita fundan-

randa. Itaque cum à nonnullis Opticæ scripto-
 ribus visio divisa fuisset in *claram* & *obscuram*;
 clara rursus subdivisa, in *confusam*, atque *distinctam*,
 hanc partitionem homo attentissimus notasse; &
 notatam ad universum genus notionum, memo-
 rabili successu, traduxisse videtur. Quidquid sit
 de occasione inventi; primus ipse docuit notio-
 num alias *claras* esse, quæ sufficienter rebus repræ-
 sentatis agnoscendis & ab aliis similibus discernen-
 dis; alias *obscuras*, quæ ad hoc idem non suffi-
 cient. Earum vero quæ claræ essent, rursus du-
 plicem speciem dari, ut aliæ sint *confusæ*, qua-
 rum notæ intrinsecæ, efficientes ut res possint
 agnosci, & ab aliis discerni, propter implicatio-
 nem laterent, ut sigillatim percipi & à se mutuo
 discerni

dantur: quem qui non penitus didicerit, cogno-
 verit, intellexerit, næ illi clarissimæ in luce
 meridiana positæ res, Cimmeriæ tenebræ vide-
 buntur. Laudi merito datur Cartesio, quod pri-
 mus agnoverit, qualitates sensibiles omnes, ve-
 luti Sapores, Odores & similes, mera esse Phæ-
 nomena, confusione in organis nostris senso-
 riis nata, & minime extra mentem in rebus ipsis
 existentia; dissipata illa turba qualitatum, in en-
 tia realia transformatarum ex quibus corpora com-
 ponebantur; somniantium Scholasticorum por-
 tenta. Perpauculis passibus ulterius; & similia
 Phænomena universis notionibus confusis respon-
 dere intellexisset. Quod si Cartesio contigisset
 cuncta Schola Gallica procul dubio in pleraque illa
 profundiora dogmata dudum fuisset deducta, qui-
 bus nunc Schola Germanica potissimum floret.

discerni nequeant: aliæ *distinctæ*, in quibus illæ notæ ita sint sejunctæ, ut quævis earum sigillatim mente prehendi, & a sociis suis discerni queat. Distinctarum vero notionum rursus duplicem familiam fecit, & *adaquatæ* nominavit, quarum singulis notis, totidem novæ notiones distinctæ responderent: *inadaquatæ* vero, de quarum notis singulis, non distinctæ, sed confusæ solum notiones haberentur: quibus accuratis definitionum signis, cuique speciei adjunctis, effecit, ut quævis occurrens notio facile possit agnosci, ad suam familiam referri, & sic quid cuique consequens sit, expedite videri. Quo quidem pacto, aditus tandem ad definitiones sæcundas & scientiam præcipientes, fuit apertus, siquidem definitio nihil aliud est, quam notio rei distincta, notis ad rem agnoscendam sufficientibus, neque deficiens, neque abundans: de quarum vi & virtute, tam magnificæ prædicationes in Schola Germanica; quarumque facultate, & usu, universæ antiquitatis diligentiam se vicisse, non immerito gloriari videtur. Definitiones ipsas in duas species dispescuit: *nominalium*, quæ notas tantum, rei ab aliis discernendæ, offerunt; & *realium*, modum rei producendæ, & ejusdem simul possibilitatem intrinsecam, declarantium. Et quoniam Cartesiani, cum omnino falsis, tum non sat probatis veris notionibus graviter erant lapsi, Leibnitius etiam monuit, à nulla nominali definitione stabilem scientiam esse expectandam; nisi prius aliunde, vel experientia vel demonstratione ante stabiliendam, quam de veritate aut falsitate notionis, & omnium eorum quæ inde promanant, pronuntiare liceat. Adjunxit, Criteria veritatis enunciationum Logicæ regulis contineri, qui-

quibus etiam uti soleant Geometræ, ut nihil admittatur pro certo, nisi accurata experientia, vel firma demonstratione munitum. Eam autem firmam demonstrationem esse, quæ præscriptam à Logica formam servet; non quasi ordinatis scholarum more syllogismis semper opus sit; modo ita sit disposita oratio, ut ad assensum cogat vi formæ, & tota argumentatio similis sit legitimo calculo, in quo unum ex alio continue colligitur. Itaque nullam præmissam necessariam esse transiliendam, nisi forte ex numero principiorum concessorum fuerit: aut præmissas denique hypothetice tantum esse assumendas; sed hoc casu, conclusionem non aliter quam sub conditione, veritatis assumptæ præmissæ, veram habendam.

Et hæc quidem sunt A. cum præcepta, tum consilia, quibus hic tantus Vir Philosophiam adjuvare, primùm est conatus: semina spargens, quorum nunquam fruges vidit. Res & novæ & altæ, angustè concisæque dictæ, ænigmata doctissimis erant, Sphingem exspectantia. Quam enim ipse summus Geometra, vim methodi Geometrarum profundissimè fuit rimatus, ut non uno signo intelligentibus indicavit, etiam Principium Rationis sufficientis, quod Methaphysicam demonstrabilem fecit, magno comitatu uberrimorum dogmatum inde natorum, in Philosophiam introduxit, & universorum nexum ita animo percepit, ut senex sæpius fuerit professus, triginta annorum continua meditatione, parem se in Philosophia evidentiam consecutum, illi, quam haberet numerorum scientia; tamen nunquam ab ipso, qui cuncta paratissima habebat, rerum suarum,

rum corpus plenum, ordinatum, & ad intelligentiam communem accommodatum, accepimus; sive quod laborem expoliendi cognita suggeret, ad nova continue tendens, sive quod ignorantiae ætatis & contradictionum esset pertæsus, sive denique quod haud pauca scripserit, (a) quæ non
 inte-

(a) Leibnitium multa in Philosophicis scripsisse præclara, quæ interierunt, certissimum est. Ipse ego quondam, tractatum aliquem ejus, animadversiones in Princip. Phil. Cartesii continentem, ingenii plenum, & ad prelum paratum, in Bibliotheca Joh. Bernoullii reperi: quem unquam scriptum fuisse, nemo hactenus, quantum quidem scio, comperit, & cujus autographon procul dubio periit. Fuit hic proprius Leibnitii character, ut suorum libellorum esset negligentissimus, dimittens pulcherrima inventa, quam primum se illa in potestate habere sentiret. Nimis etiam refugiebat contradictiones ignorantiae; & nimis curabat judicium suæ ætatis, maxima pressit, veritus, ne contemnerentur non intellecta. Sic Calculum differentialem neglecturus erat, cum videret eum parvi pendi: ad eum rediit excitatus approbationibus Bernoulliorum. De theoria virium vivarum, cujus infinitum usum videbat, brevi siluit: ne displiceret Papino, Catelano, & aliis ineptissimis judicibus. Eorundem censuris fatigatus, reliqua sua Dynamica non dedit, irreparabili scientiarum damno. Pleraque Philosophiæ suæ decreta reticuit, ne portenta hominibus ignarissimis proferre videretur. Si laudes concupivit, concupivit illas, in parata quasi pecunia, posteras parum curasse videtur.

interierunt. Etenim quod imprimis memorabile, & ingenium Viri declarat, ipsum hoc de Ideis pulcherrimum tentamen, magnam Philosophiæ instaurationem continens, trium vix pagellarum Schediasmati inclusum, in eadem Acta Lipsiensi, ejusdem anni LXXXIV. deposuit, in quæ, mense proxime superiori, inclytum nunc per orbem terrarum, Calculi differentialis specimen, simili brevitæ atque incuria, abjecerat. In quo Actorum volumine, multos utrumque annos, sub doctissimorum (a) oculis, sine fructu, sine laude, quali

(a) Constat & Hugenum, & Tschirnhausium, & omnes magnos illius ævi Geometras, specimen Calculi Differentialis, in Actis vidisse, & non intellectum contempsisse. Et eam ob rationem LeibnitiuS male superbos erudire amplius noluit, ut facile potuisset. Non ita multo post Jacobus Bernoullius Prof. Basileensis, intellecto ingenio fratris natu minoris, Johannis, discipuli sui, ei obtulit societatem, perlegendi communi opera, cunctos Geometriæ libros alicujus nominis, inde ab operibus veterum profecti. Quam conditionem cum libenter accepisset Johannes, adhuc Geometriæ Elementarius, post aliquot annos, absoluturi curriculum, accesserunt ad lectionem Schediasmatum Actis Lipsiensibus insertorum, & seriem temporum sequentes tandem deducti fuerunt ad Schediasma Leibnitianum, (mensis Octobr. An. 1684.) quod cum non statim intelligerent, ut reliqua erant soliti, fere transitori erant, cum revocaret se Jacobus & fratrem, dicens; non esse consultum; nosse se Leibnitii ingenium;

quasi mortuum jacuit, & procul dubio etiam adhuc jaceret, nisi alterum Bernoulliorum fratrum ingeniis fuisset excitatum, alterum magni Viri, de quo mox dicturi erimus, lucem accepisset: ut mirari liceat, quo pacto tam negligens suæ famæ Leibnitius esse potuerit, tam leviter & supine tantas res proponens, quarum utralibet justo commentario, quod facile facere poterat, illustrata, uno anno cunctam Europam nominis sui gloria implevisset. Dormiebat itaque hæc de Cognitione Veritate atque Ideis commentatiuncula, in nominato Actorum volumine, secuta nunquam à Cartesianis, in quorum gratiam scripta fuerat, ad aliquem usum è somno excitatum iri.

Tom. VII.

Pp

Pars

non verisimile, hunc talia scripturum fuisse, nisi aliquid in recessu haberent; denique animum sibi nescio quid portenti augurare. Atque sic ingenii præjudicio permoti, convenerunt, se separatis studiis, investigationem aggressuros: quod cum nulla mora interjecta fecissent, octiduo post, pulcherrimo ingenii humani invento potiti sunt. His demum sociis confirmatus Leibnitius, ad alia evulganda animum adjecit. Sic rem contigisse, sæpe audivi ex ore Celeber. Viri Johannis Bernoulli. Ex quibus patet, qua probabilitate Homo famæ negligentissimus accusari possit quod Newtono suum furatus fuerit; quam calumniam alia occasione, actis & probatis funditus delebimus.

Pars posterior

Methodum WOLFIANAM exponit.

HAbetis quam potui breviter, historiam rationis Philosophandi, a remotissimis seculis ad nostra tempora deductam. Gravissimæ artis diuturnam tenuitatem videtis; nunc paucis subitum ejusdem incrementum, unius Viri solertia, considerate. Est is alterum Germaniæ ornamentum, nobilissimus hujus ævi Philosophus CHRIST. WOLFIUS: unigenum & singulare ingenium, imitatrix nullius, imitandi omnibus in hoc genere exemplar; a quo maximum atque gravissimum methodi condendæ munus, & recte susceptum, & feliciter confectum fuit. Florebunt sane apud justos rerum æstimatores, quotquot unquam in Philosophia elaborarunt, suis maximis laudibus; sed florebunt ut Operarii, sæpe mirifici; attamen huic uni tanquam Architecto concedent. Sed de hujus summi Viri, Philosophi, ejusdemque Geometriæ, Theologi, & Jurisconsulti, ingenio, doctrina, & memorabili arte, tum demum pro meritis dicetur, quando invidiam, odium & malevolentiam, quæ semper vehementissime in tales viros exarsere, mors extinxerit, & tantam lucem æquior posteritas desiderabit. Quod tot magnos viros, longa experientia, & multiplex doctrina non docuerat, hunc felix natura monuisse videtur; frustra ingenium sibi relictum magna in Philosophia conari, nisi ingenio valentior ars adjungatur & quasi, quædam

dam disciplina scienter progrediendi, menti constituatur, cujus regulis singula vestigia signentur, singulique gressus regantur. Talem cum habere Geometras comperisset, admodum juvenis in horum scholas properavit, eo consilio, ut artificia quibus Geometria tantos progressus faceret, penitus cognosceret, & experiretur, num quo pacto in Philosophiam transferri possent. Hoc in studio occupatus, mentemque in omnia versans, primus Leibnitianæ de Notionibus doctrinæ infinitum usum in omni Philosophia rationali pervidit, eamque, ut reliqua Leibnitiana, complexam, paulo post in immensum promovit, sed ita promovit A., ut initia non tam à Leibnitio accepisse, quam suis artibus per se invenisse videatur; procul dubio ea quoque inventurus, nisi à tanto ingenio ætate anteversus fuisset. Multum itaque diuque, in hac methodi cura, & in veterum Geometrarum demonstrationibus pensitandis, agitatus, plenè tandem cumulateque quod quæsierat, invenit. Quibus insolitis laboribus, paratissimus ad omnem philosophiam fuit factus; profundissimam Logicæ cognitionem consecutus, cum summo demonstrandi usu conjunctam. Hac magna & præclara facultate instructus, missa antiqua populari differendi ratione, inventoribus Philosophari primus instituit: artis proprium, & creare, & gignere esse, persuasus, Philosophiam ante laceram, disjectam, & hanc ob causam omnino sterilem, in unum doctrinæ corpus magno ingenio ordinare est ausus, quod certis fixisque principiis tanquam radicibus inhærens, & naturali partium coagmentatione contextum, ad vigendum, crescendum; & ad fructus ferendos esset idoneum.

Multa unus fecit, quæ singula pluribus justam nominis celebritatem conciliare potuissent. Philosophiam primam; seu Ontologiam, non cunctæ quondam Scholæ solum, sed Baconis etiam & Leibnitii judicio, *Reginam Scientiarum*, inde à Cartesii temporibus propter paupertatem, & sordes Doctorum, infaulte despiciatam, locupletavit, & luce amictam, in honorem reduxit. Cosmologiam, quam nunc pietatis armamentarium ad religionem tutandam dixeris, quæ nulla fuerat, funditus excitavit, atque instruxit. Psychologiam opinionibus nutantem, experimentis novi generis inædificavit. Theologiam naturalem gravissimam disciplinam digessit, auxit, & contra Atheos firmissimis demonstrationibus munivit. In condendo Juris naturæ & gentium systemate, omnium Jurisconsultorum industriam superavit. Brevi, tantæ præstantiæ opus est orsus, quod facto interruptum, non magis quam illud Veneris Choæ quondam simulachrum, à nemine unquam poterit perfici. Non huic placuit ambitioni, sed veritati Philosophari; non in ullius Sectæ ruinis regnum quærere; sed omnium recta erigere, & vera confirmare. Multorum rebus usus est, non tanquam compilator, ut multi, sed tanquam inventor: ubique propriis artificiis, subtiles lineas confinium veri & falsi ducens, confusa in distincta transformans, & sterilia nova arte fœcundans; denique æqua demonstrationum lance suum cuique tribuens, à paucissimis ipse suum consecutus. Sed si in communionem antiquarum rerum confuse cognitarum multi veniunt, quod in omnibus maximum est, nexum, ordinem, evidentiam, solus jure sibi vindicat, & quantum

cun-

cunque hoc est, totum ducit suum. Geometricè enim in Philosophia versari, definitiones invenire, axiomata ponere, demonstrationes adornare, ipse à nemine didicit, omnes docuit. Primus æstimationem probabilium, à dijudicatione certorum rite secretam, in systema redigere, & diversissimas judicandi disciplinas, suis quamque propriis præceptis, tractare decrevit. Logicam probabilium, opus hæcenus intentatum, anxie intelligentes exspectant. Logicam certorum tenent, tam luculentam, plenam, & omnibus numeris absolutam; ut nihil in hac parte, aliorum industriæ relictum esse videatur. In eximio hoc & studiosis Philosophiæ non satis commendando opere, de Notionibus agitur luculenter, de Definitionibus copiose, de Axiomatibus accuratissime; forma vero, contextus & intima Demonstrationis structura, summis olim ingeniis abscondita, sic aperitur, ut nihil in hoc genere possit à mediocri intelligentia desiderari: denique quibus studiis atque exercitationibus, tantarum rerum facultas sit comparanda, non doctè solum & ingeniose, sed candidè etiam & sincere, magna præceptorum abundantia declaratur.

Sed dimitto hæc, & quoniam ad hunc de Methodo sermonem pertinere videtur, illos nunc amice objurgabo, qui Metaphysica contemnentes, Physicis delectati, res copulatas diffociare, & natura cognatas inter se committere, inconsiderate conantur; methodum experimentalem cui soli fidunt, à cuncta WOLFIANA ratione plurimum abhorrere, & toto cælo à NEWTONIANA diffidere, existimantes: de quorum in judi-

cando solertia minimè contendo; diligentiam certe in cognoscendo valde requiro. Hi enim si legere prius, quam judicare, voluissent, aut unquam in vita libros aperire, quos contemnere decreverunt, non solum prudentius se cohibere, sed etiam discere potuissent, quam late pateat hæc experiundi ratio apud Wolfium, cujus minimam particulam ipsi in Physicis cognoscere voverunt, minime tamen à nobis hanc ob rationem reprehendendi. Quod si mirantur, aperiant libros, videbunt. Infit primam paginam suæ Logicæ, infit primam Ontologiæ, à vulgaribus observationibus & obviis, & cuncta suæ Philosophiæ exordia, ut bene provisa principia constituentur, ab experientia ducit. Quis hoc unquam, aut magnificentius de methodo experimentalis sensit? aut gravius eam commendavit? aut doctius unquam & enucleatius ex consuetudine Astronomorum explicavit? Vidit, & nemo unquam vidit melius, matrem scientiæ experientiam esse, sed non aliter quam rationi sociatam. Quoties, & quanta cum auctoritate, eruditos experiri, observare, sciscitari naturam, & ex ipso vulgo sapere jussit? Primus ipse, hanc jure laudatam experimentalem viam, quam in exploranda solum natura adhuc alii adhibuerunt, ad universam Philosophiam translata, longissime ultra hos arctos Physicorum cancellos protulit. Astronomos imitatus, qui ab obviis Phænomenis motus Astrorum communis profecti, in remotissima cælorum arcana penetravere; principio, notiones vitæ communis, cuique præsentis, nunquam non obvias, profert, experiri facit, explorat, & generalibus quæ iisdem insunt acutè notatis, inde principia

cipia extrahit, quorum, ad artis præcepta, in demonstrando usum facit. Sic in subtili hoc & excelso observandi genere ipse progreditur, & in eandem viam alios quasi manu deducit. Quam præclaram rationem, in Philosophia de anima, imprimis tenuisse videtur: in qua constituenda eadem sapientia, quam in natura exploranda tanto opere Newtonus commendat, fuit versatus. Non hic leves conjecturas, non bellos sermunculos, non vagas disputationes, de abscondita hac, & à sensibus remota substantia in medium profert; sed novo consilio, historiam experimentalem animæ condit, accuratam, nexam, propositionibus determinatis incinctam, facultates ejus, operationes, operandi leges, denique modum, quo aliæ ab aliis dependent, manifestantem. Et his demum experiundo & observando in *Psychologia empirica* analytice constitutis, enititur altius, & in *Psychologia rationali*, in rationes observatorum synthetice inquirat: discipliceant hic dogmata, si placeat; methodus in quo reprehendi possit, audire velim. Idem institutum secutus est in tradenda *Physica*, commendando aliis exemplo. Non ut multi nunc faciunt, experientiam cum conclusionibus inde deductis, quæ separatissima esse debent, imprudens confudit; sed sapienter, prorsus ut Newtono in *Optica* placuit, *Physicam* experimentalem à dogmatica sejunxit; in illa experimenta recensens, vires naturæ & consuetudines indicantia; in hac principia hæc experientiæ ad interpretanda Phænomena transferens. Quo satis declaravit utrique operam esse dandam, sed non eodem modo. Hypotheses in Philosophiam experimentalem, omnino consentiens Newtono,

non esse admittendas decrevit : neque tamen, quod virum ostendit, in tam lubrico loco, metam transiliens, cum magna turba est lapsus; sed pulchre inhibuit, & solus justo loco stetit : usum enim in hoc genere ab abusu acute discernens, refrænavit cœcam imitatorum temeritatem, hypotheses nuper, quas à sola parte experimentaliperite Newtonus abesse jusserat, ex universa Philosophia imperitissime proscribere conantium; credo, quo hunc tantum Virum in emendando superasse viderentur : nobile tamen & antiquissimum inveniendi artificium, quo Astronomia fuit perfecta, quo Medicina utitur, quo denique neque Arithmetica neque Algebra, neque ulla pars Matheseos carere potest. Quo quid unquam ex Philosophia eliminari potuit obtusius? aut eliminatum revocari prudentius?

Quæ cum ita sint, quid est quod ego dubitem, de his tam apertis rebus & perspicuis, vera justaque animo sentire, & quæ sentiam, lingua profiteri? aut cur verear meritissimo Viro suum jus tribuere, & vivum laudare, quem mortuum, ni omnino hebes sum, posteritas mirabitur. Ego vero fateor A. me & antiquis perlustratis, & novis quantum potui cognitis, nihil in hoc genere reperiisse melius, nihil gravioribus rationibus firmatum, aut majorum hominum consensu comprobatum. Veniant, & contemnant hæc, si qui sunt minorum opusculorum fabricatores, populares & repentini Philosophi; qui antiqua non cognoverunt, non nova proxime superiora, non his interjecta media; reclamabunt credo, cuncta inde à Thalete ad Cartesii memoriam excitata
Gym-

Gymnasia, & hæc magna, hæc præclara, hæc frustra diu à se quæsitæ, dicent. Sed displicent forte Metaphysica & Contemplativa omnia, tanquam vulgaria & leviora, quoniam infinitus in hoc genere malorum scriptorum numerus fuit: mirum; ergo in nullo genere, summum artificem, à vilissimo operario, non ab agrimensore Newtonum discernent? Ut enim nunc de rebus taceam, & de sola forma loquar, si hoc modo semel in vita expendissent, aut etiam dictum satis intelligere possent, ex quanta & quam recondita arte primæ definitiones Euclidis sint petitæ, & quomodo his initiis, specie tenuissimis, tota Geometriæ feracitas & magnitudo contineatur, nihil futura sine his, aliter profecto de vi methodi in disciplinis iudicaturi forent. Quid est hodierna mensurandi facultas Sinensium, quæ tamen gens aliquot mille annos in hoc studio consumsisse ferur, aut antiqua agrimensoria Ægyptiorum, quorum etiam in hoc genere ingenium & investigatio celebratur, quid est, ad Græcorum Geometriam relata? mortua dicas & dissipata ligna, ad arborem vigentem, aut informe marmor, ad Phidiæ Minervam. Quod si Græcia omnibus gentibus hoc uno maxime præstitit, quod formam Geometriæ invenit, qua scientia crevit; & hanc ob rationem satis laudari non potest; illum nihil fecisse dicemus, qui rem multo difficiliorem præstitit, multo illustriorem si aliquod studium sapientiæ est, multoque diutius quæsitam, hac eadem forma in Philosophiam introducta? Est certe aliquid, est aliquid A. cum sensibus primo divortium fecisse; intellectu Geometriam ex Geometria eduxisse; societate ordinis, rerumque or-

dinatarum ingenio dissoluta, quasi creatrice vi, formam à sua materia sejunxisse; eaque indigestam Philosophiæ molem animasse. Hanc artem, qua cum Græcia contendat, apud se natam, Germania tenebit, hac gloriabitur, hanc augebit & perpoliet, si suæ laudi consultum cupit. Sed ut res tam præclara, ab iniquorum censuris, quorum magnum numerum esse video, plenissime liberetur, & nemo dubitare possit, quam ratione philosophari deceat, vestra bona venia A. disceptabo hanc causam paulo accuratius.

Primum hoc quæro, quinam est scopus universæ Philosophiæ, ad quem totus hic de methodo locus referendus? *cognitio stabilis veritatum & constans, cum ad scientiarum amplificationem, tum ad communem vitæ fructum, utilis*: nemo sic dubitabit respondere. Quo dato, hoc consequitur: Philosopho si modo susceptum nomen rectè tueri velit, ad scientiam esse enitendum & minimè in sola eruditione subsistendum. Summa enim eruditio sine ulla scientia esse potest, & summa scientia cum mediocri eruditione. Scientia autem est eorum quæ scimus: & tum demum scimus, quando veritatem agnoscimus demonstratione convicti. Tendit itaque Philosophus quem hic quærimus ad *convincendum*. Apud quosnam hanc artem discet? Historicus, simpliciter narrat; Orator ad summum persuadet; ex utroque genere differit Litterator. Sed quis convincit, hoc enim petitur? Geometris hoc tribuitur, & à doctis & à vulgo. Proficiscetur itaque ad horum scholas noster Philosophus, non solum gravissimo quondam auctore Platone, sed adhortatore etiam ipso vulgo, ibi
que

que hanc convincendi rationem perdiscet. Geometrarum vero mos talis. Ordiuntur à definitionibus, progrediuntur ad axiomata & postulata, aut his deficientibus ad observationes & experimenta; quibus initiis utuntur, in solvendis problematibus, & demonstrandis Theorematis, perpetuo ordine confertis atque contextis. Pauca ut videtur; sed quæ magnam contemplandi materiam Philosopho offerunt, intimas rationes causasque perspicere desideranti, cur tam exiguis specie initiis tanta efficiantur, & cur mens ad assentiendum tanta vi cogatur. Primum itaque hoc est, ut rectè *definiatur*. Præcipit hoc & doctrina & ratio, & quam latè pateat, dici satis non potest. Est vero *Definitio*, brevis quædam patefactio, & circumscripta apertio, rei involutæ; ejus proprias potestates seu intrinsecas notas sigillatim monstrans; ita accuratè, ut neque absit quidquam, neque supersit eorum, quibus res efficitur, & in suo genere continetur. Omnis sive redundantia sive defectus, in hoc scientiæ elemento, summum vitium est. Bona definitio, quæ ad inveniendum & demonstrandum apta sit, complecti debet notionem rei distinctam, notas exhibentem quæ sunt ejus rei propriæ, quibus illa ab omnibus aliis rebus discerni potest; unde cuncta etiam derivanda, quæ ea de re concipi possunt. Hoc quanti momenti sit, quivis facile existimabit, si cogitet; ea quæ in genuina definitione ponuntur, ita esse comparata, ut rationem sufficientem recludant eorum omnium, quæ ei rei convenire possunt. Qui verò fieri poterit, ut inquirendo rei proprietates involutæ deprehendantur, nisi ea antè teneas in quibus fundantur,
&

& ita teneas , ut quid sit quidvis eorum & quantum valeat , distinctè perspicias ? sunt hæ rei notæ definitioni inclusæ , prima DATA , ut Geometræ loquuntur , quibus ratio nixa ad conclusionem novorum contendit. Sed non solum inventio potissimum à definitionibus proficiscitur , sed etiam quod huic affine , stabilitas scientiæ ex iisdem ortum ducit. Definitionibus neglectis , quales perfecta ars requirit , non possumus non in perpetua obscuritate , & dissensione versari : neque unquam ad exitum potest perveniri , nisi conveniatur quid sit illa res de qua agitur , ut hoc pacto varietas opinionum tollatur ? Quem enim paulo doctiorem hodiè fugit , inclytas illas Logomachias , quæ tanta & tam diuturna mala litteris intulerunt , ex ignoratione artis definiendi fuisse enatas ? Quis ignorat beneficio definitionum solam Mathesin illis dissensionibus caruisse , quibus reliquæ omnes disciplinæ , iisdem destitutæ , jactatæ fuerunt atque perculsæ ? Neque sanè mirum : accuratis definitionibus , incertæ ac vagæ voces fixæ & stabili significationi alligantur : & sic quasi scedere quodam , de finibus , terminis , & tota circumscriptione notionum inito , lites perimi , & pugnantes sensus consociari necesse est : quoniam ita fit , ut nemo , ne volens quidem , à vera significatione aberrare possit , quin facile aut inscitæ aut pertinaciæ convincatur. Qui itaque hanc definiendi rationem Philosophus ignorat , næ is in veritate constituenda , frustra ingenio laborabit : distincta cognitione initiorum destitutus , in opinionibus semper habitabit , ad scientiam nunquam perveniet. Sed cum hujus maximæ rei multæ , eæque subtiles regulæ & cautiones

tiones sint , hoc loco non commemorandæ , in iis aperiendis & præscribendis , inprimis occupatur modo laudatum Logicæ WOLFIANÆ opus , in hoc gravissimo loco regnat prorsus , in hoc triumphat de omnium hujus generis Philosophorum libris.

Definitionibus subjunguntur apud Geometras *Axiomata* atque *Postulata* , quæ vulgo *notiones communes* vocantur , omnium animis ita insitæ & apertæ , ut nemo sanus de earum veritate dubitet. Hujus generis in qualibet disciplina , qua ratione & via tractanda , nonnulla sunt præmittenda , ut à simplicioribus ad composita , à cognitis ad incognita , progressus instituat. Cum verò sæpè optimæ rei pessimus abusus fuisset factus , quo maxima damna Philosophia cepit , tot miseris Sophistis suas precarias hypotheses Axiomatum & Postulatorum magnifico titulo condecorantibus , expugnanda Methodi Conditori , & funditus delenda hæc malorum Philosophorum arx erat , constitutis clarissimis criteriis , quibus genuina Axiomata & Postulata agnosci , spuria revinci possent. Quod , ut reliqua , præclare WOLFIUS perfecisse videtur ; à quo hunc de *Propositionibus in demonstrativis* locum ita enucleatè pertractatum & tot luculentis præceptis munitum accepimus , ut truncum esse oporteat , qui , hisce cognitis , nubem ut aiunt pro Junone , posthac in hoc genere amplectatur.

Sed dicat aliquis , cuncta sive Axiomata sive Postulata , in iis tantum disciplinis , quæ rationi puræ patent , reperiuntur : quid igitur Philosophus,

phus , cui ex mundo rationali in mundum sensibilem est descendendum ? quonam hic modo Euclidis imitator erit ? quænam scientiæ exordia faciet ? Responsio in promptu est : principia , ubi desunt , inveniet experiundo & observando. Hic mos est Geometrarum ad quorum se rationem componet. Hi in Optica experiendiis , in Astronomia observationibus , principia artis condunt , quibus in locum Axiomatum & Postulatorum surrogatis , omnem reliquam istarum disciplinarum doctrinam , Geometrica ratione indè conficiunt. Idem itaque sæpissimè Philosopho faciendum ; experietur , observabit ; & , quoties necesse fuerit , loco Axiomatum & Postulatorum , propositionibus utetur experientia aut observatione manifestis : quo facto , reliquas veritates , quæ hæc initia consequuntur , ex his assumtis , tanquam suis principiis efficientibus , accuratè methodicèque demonstrabit. Quod si in hoc permaneat , verum esse , *quidquid legitimo ratiocinio ex observationibus atque experimentis deducitur* ; falsum verò , *quod iisdem repugnat* , næ firmissimè sic vestigiò stabit , facileque & pugnacem Academici eloquentiam , & veteratoriam Sceptici subtilitatem contemnet.

Atque hæc quidem A. O. O. H. paucissima sunt exordia , quibus in omni disciplinarum genere Scientia efficitur *Demonstratione* : in qua rectè adornanda , omnem operam & ingenium collocabit noster Architectus veri , qui non vulgo , sed inventoribus , scribere instituit. Veteris Geometriæ exemplar in oculis semper habebit , quo relicto , nunquam in omni muneris suscepti parte reprehensionem vitabit. Principio , ut Euclides
factitat ,

facilitat , propositionem demonstrandam enuncia-
bit accuratè , perspicuè , rotundè , verbis brevis-
simis , ambitu suo , præter solam veritatem demon-
stratione stabiliendam , nihil recludentibus ; dein-
de cum demonstratio non procedat nisi ex assum-
ptis rationem sufficientem veritatis continentibus ,
cautissimè , si necesse fuerit , cum notione sub-
jecti istas omnes condiciones sociabit , quibus
positis , id quod affirmatur verum fit . Et his de-
mum ritè constitutis , tanquam in stadium ratio-
cinii intellectus dimittetur ; in quo decurrendo ,
qualis sit , inprimis ut Philosophus noster osten-
dat , oportebit . Non enim hic , aut probabili-
tatibus conlegendis immorabitur disputator disso-
lutus & popularis ; aut doctus bajulus , miserè
sub eruditionis multifariæ sarcina vacillans nutans-
que proreptabit ; aut denique calcis immemor ,
eloquentiam in via sectabitur declamator inutilis
& molestus ; sed proficiscendo è notione distincta
subjecti , per continuatam syllogismorum seriem ,
itinere brevissimo ad conclusionem properabit ;
in vestigiis ponendis ita circumspèctus , ut singuli
passus , cum verioris Logicæ præceptis , tum
Geometrarum consuetudinibus consonent ; ejus-
modi denique universa probationis ratio sit , cu-
jus nullum membrum , nec refelli dialecticè , nec
oratoriè redargui possit , quoniam quodque vel
concessum sit , vel antè probatum , vel denique
ex intrinsicis rei propriisque potestatibus deriva-
tum , quibus tota demonstratio niti debet ; & non
magis hoc Ariadnæum filum , si errorum Laby-
rinthum & opinionum timet , unquam deseret ,
quam prudens gubernator , mortem in undis vita-
turus , clavum & cynosuram dimittit . In hoc
æquo

æquo tramite pergendo , muneri satisfaciet , veritatemque ex veritate derivando , universas in unum systema harmonicum connectet , ut antecedentibus stabilita stent sequentia ; cuncta verò Definitionum & Axiomatum , aut Observationum , Experimentorumque fundamento ita insistant , ut nulla pars temerè convelli possit , quin totum ædificium unà cadat , & ipsam naturam mentis & rerum , quibus principia sunt infixæ , in eandem ruinam trahat. Atque hoc demum pacto A. existet mentis opus verè scientificum , consensione partium ad perpetuitatem aptum , quod opiniones non labefactabunt , quod nulla ætas ad senectutem compellet : non hoc opus prisca amplius probabilitatum farrago erit , speciosa quidem , sed effoeta tamen ; ad instar Scyllæ in fabulis , verborum splendore , virginis os vultumque referens , rerum verò contentionibus , monstris latrantibus uterum succinctam gerens ; sed corpus sapientiæ naturale , vivum , ad generationem conformatum , quod spernens imaginationis ornamenta , nuda veritate intellectum pellicit , ex quibus amoribus , ut cum Platone loquar , numerosa soboles utilissimorum generi humano inventorum , procreatur.

Hoc vero loco A. multorum vel nimis admirantium hanc novam rationem , vel etiam accusantium voces audio. Quid , inquiunt , magnificè semper isthæc & impunè de hac methodo jactabuntur , quam doctissimi homines cum materia Geometriæ ita conjunctam arbitrantur , ut nullo pacto separari , aliisque disciplinis inferri possit. Vetus , fateor , sed parum spectabilis præjudicata opinio.

opinio. Methodus mathematica via & ratio est, asserta demonstrandi ex raris principiis & fixis. Quid autem in hunc finem Mathematici sua in arte faciunt, quod simili modo in sua Philosophus facere non possit? scilicet, non poterunt Definitiones accuratæ, tam rerum, quam verborum condi? non pro re nata apta Principia constitui? non Propositiones determinatæ formari? non formatæ, è Principiis stabilitis, rectis ratiociniis confirmari? non denique inter se cuncta connecti, & in unum doctrinæ corpus ordinari? Quis hoc neget, qui primoribus labris Logicam attigit? In his tamen rebus consistit vis Methodi Mathematicæ virtusque; rejiciantur invisa stultis vocabula *Theorematis*, *Problematis*, *Corollarii* &c. Methodus tamen eadem manebit.

Conqueritur autem Philosophia de injuria illorum, qui hanc Methodum, causa nunquam cognita, sibi ademptam, Geometriæ propriam tradunt, quam & naturæ & suam esse jure contendit. Si enim est ejusmodi Methodus, cogitata continuata serie alia ex aliis fundens, aptisque locis ita singula collocans, ut cujuslibet facillimè veritas ex antecedentium veritate perspici queat; quæ summam evidentiam perceptamque cognitionem afferat, cujus præcepta legibus mentis humanæ, quibus cogitationes vulgi sua spontè sine arte reguntur, consonent, ut universa indè probationis coagmentatio explicari possit; illa summo jure, ni fallor, vera naturæ Methodus brevis & apta dicenda erit. Talem Geometriæ esse, cum resolutione demonstrationum probetur; unam solum eandemque & naturæ & Geometriæ Methodum

esse confitendum est, non re, sed opinione discretam; adeoque Philosophorum, qui interpretes se naturæ profitentur, maximè propriam. Hanc si Geometriæ è natura haustam prudenter suæ arti maturè applicaverunt, num eam ob rationem Philosophiæ abjudicanda, quoniam antiqui magistri, ignoratione recti, cum debuissent, eam non adhibuerunt? E Regularum cogitandi natura fancitarum observatione, non e subjecta materia, demonstratio nascitur. Quot enim nuper Geometriæ systemata ineptus iste ad captum vulgi scribendi pruritus, in Gallia peperit, in quibus non plus Geometrici ordinis, quam in pessimo Scholasticorum Metaphysicæ compendio reperias? Itaque si Euclides non scripsisset, aut Archimedes, aliter Geometriam tradi non posse censebimus, quoniam tam malos demonstrandi artifices ars fuit nacta? Simili profectò oratione Philosophiam in antiqua confusione retinere volunt, qui Methodum demonstrativam accommodari posse huic generi negant, quoniam dudum illud factum non vident. Quasi non omnium rerum aliquando initium esse debeat.

Teneamus itaque, quotquot constantem Philosophiam cupimus, hanc Methodum certi ratione effectricem, ab ipsa natura Philosopho præscriptam esse, & malo scientiæ fato res natura cohærentes hominum errore & tarditate fuisse distractas, credamusque hac sola via simplici directâ, summa Geometriæ amplificatione probata, in rebus obscuris & à sensibus longè remotis, ad scientiam perveniri posse. Hanc qui deserunt, quique nudo ingenii quodam impetu arte non
mode.

moderato, ad lucem se ituros confidunt, næ illi vehementer errant; aut in ignorantiae tenebris permanent, aut probabilitatum ignes fatuos sectantur, alios alio ad casum ducentes: exinde perennis discrepantia judiciorum, contentiones & jurgia, crebraeque scientiarum, modò stationes, modò retrogradationes, opinionum dominatio, & miserabilis ignoratio veri.

Sed dum nimis fervide forsan Philosophiæ sic causam agimus, in elegantium hominum & factorum incurrimus urbanitates. Quid, ridendo isti, Vos novi Philosophi satisne sani estis, qui vobis istam stribliginem Mathematicam tanta contentione asseritis? Itaque tristes, barbari, ad omnes lepores inepti homines eritis? ubi tandem antiquæ sapientiæ dulcedo ac splendor? ubinam ista Philosophia, eloquentiam sapientiæ jungens, suavitate quondam magistra vitæ, & animorum domina? Platonis quidem discipulus & nepos Speusippus, tres Charites in atrio Academiae pingi fecerat, quo venustate atque gratia homines ad audiendum allicerentur; vos contraria ratione, triste, siccum & horridum sceletum, in aditu vestræ scholæ collocabitis, quo homines viso hoc terri culamento fugam à vobis capeffant?

Has oratorias plagas A. philosophice repellimus; respondendo sedate, ex definitione; Oratoris est *persuadere*: Philosophi, qualem nos quaerimus, omnibus & inventi & constituti veri laudibus cumulatum, *convincere*. Oratori ad suum scopum sufficiunt probabilia; modo sint commode dicta; Philosopho non nisi certa, in eviden-

tiae luce collocata; hujus summa virtus est, mentem à sensibus ad intelligentiam revocare: istius contra Poetæque focii, ab intelligentia eandem ad sensus revocare. Philosophi est, veritatem ipsam in propria rei natura, mentem intelligere facere; Oratoris & Poetæ, ejusdem veluti umbram, in aliena imaginum similitudine, sensibus spectandam dare. Iste, tanquam Anatomicus in natura versatur; hi, tanquam pictores: alteri nihil verbis significare licet, nisi quod in ipsis rebus invenerit; alteris, quodlibet aliunde accersitum, modò speciem habeat & colores. Denique quod palmarium; verba Philosopho nuda rerum signa sunt; contra Oratoribus atque Poetis, stimuli maxime affectuum, & veluti magica quædam voluptatum instrumenta. Ad summam; horum maxima laus, ut perturbando assensionem consequantur; maximum Philosophi dedecus, summumque flagitium. Quæ cum ita sint, quomodo has tam dissidentes facultates, atque contrarias in unam compingent? quomodo rationis severas artes cum sensuum præstigiis consociabunt? Sed identidem audiendum, nimia severitate in scribendo aditum ad Philosophiam difficilem & asperum reddi; quod ab optimarum rerum studio quam plurimos absterreat. Quasi vero hic intelligendi præceptor, & inveniendi magister, multitudinem consulto fugiens, ad usus sermocinandi, multis imperitis, non ad facultatem inveniendi, paucis prudentibus, philosopharetur; scilicet! huic, præclaro consilio, populus erit alliciendus, artifices relinquendi. Jubeant hæc *Philosophos populares*, qui, quoniam ut tirones aut homines vulgares utcumque in rebus philosophicis erudire suscipiunt, quæ
 huic

huic fini consequentia sunt suscipere debent; ut ad commune iudicium definiant, & ad intelligentiam popularem probent, adhibeantque orationem, quam minimè à communis sensus consuetudine abhorrentem. *Philosopho scientifico* autem, majus quiddam profitenti, eademne leges erunt præscribendæ? à quo non populari quadam trutina probabilia, sed quasi aurificis statera, explorata certaue expectamus; cujus ratio tum optima, si longissime sit ab imperitorum intelligentia sensuque disjuncta. Equidem, cum in omni artificii genere, quantum quisque operando finem consequitur, quem artificium intendit, tantum laudari soleat: solus nunc Philosophus scientificus, non ex sua propria inveniendi & demonstrandi facultate, sed ex aliena, bene dicendi, æstimabitur? & cum fere opprimamur hodie leviter philosophantium multitudine; unum alterumve, soliditati unice inservientem, horum censorum prudentia non feret?

Verum age, geramus morem tantisper, fugiamus horriditatem, & ut multitudinem tenere possimus, copioso & eleganti sermone in disciplinis operam demus. Itaque Algebram nunc, ingenii humani gloriam & decus, abjiciemus totam: quoniam asperitatem ejus vulgus eruditorum perhorrescit: Euclidis Geometriæ Elementa prorsus dissolvemus, ut populariter narrata, pluribus placeant. Quid dici potest obtusius? Attamen, bonæ veritates sermone populari semper explanari potuerunt. Potuerunt quædam; num vero sic, ut essent aptæ ad inveniendum & demonstrandum? de hoc enim agitur. Non puto: ad hos

enim usus nihil quidquam optimæ veritates profunt, nisi redactæ fuerint in propositiones breves, concinnas, Euclideo more determinatas. Ratio est, quod nulla conclusio nasci aliter in mente potest, quam ex duabus præmissis, ut Logici loquuntur, terminum communem habentibus. Itaque, nisi præmissarum utraque accurate circumscripteque in mente fuerit, ut terminus communis adpareat, nunquam conclusio oriri potest. Sequitur; non aliter popularem disputationem ad inveniendum ac demonstrandum utilem futuram, quam extractis ante veritatibus, & in eandem ipsam formam redactis, quæ his censoribus à scriptore statim allata tantopere displicet. Quod si hanc transformationem probant, & eum, qui legit, facere volunt; rursus peccant: malunt enim imperitis laborem infinitum multæ artis, relinquere, quam eundem lectoribus detractum, auctori imponere.

Sed nunc admirabor tarditatem illorum, qui hoc non vident; Philosopho non solum multitudinem non alliciendam, sed etiam studiose repellendam esse, si & magnas molestias sibi vitare, & scientiæ tueri dignitatem cupiat. Ecquid enim Mathematici severo isto & spinoso scribendi genere, quod reprehenditur, consecuti sunt? num forte magnum aliquod incommodum? Immo rem omnium præclarissimam, ut nemo nisi Mathematicus de rebus mathematicis aut scribat aut iudicet: cæteri omnes taceant, modo sani haberi velint. Contra Philosophi populares, suis oratoriis invitamentis, quid? Odiosissimum pepere-
runt errorem: ut quemadmodum fabulæ aut ora-
tionis

tionis, sic universæ Philosophiæ dijudicatio, popularis quædam facultas existimetur; in qua solus sensus communis & scribere, & fidenter sententiam ferre, dubitare non debeat. Graviter queruntur Medici de circumforaneorum, anicularumque, protervia, artem dedecorantium; sed quanto graviores Philosophorum querimonie de simili integrorum ordinum & doctorum & indoctorum impudentia? Quotusquisque enim tam tenuis hodie eruditus reperitur, tam ab omnibus & intelligendi & judicandi præsiidiis nudus, tam denique trium litterarum homo, qui non ingentem injuriam putet, si forte, aut auctor in Philosophia minus idoneus, aut non satis intelligens existimator habeatur? Citharædus perdiscit suam artem, opificum quisque suam; Philosophiam, quam pauci! & tamen omnes de remotissimis ab intelligentia communi decretis, modo veterum Philosophorum, modo recentiorum, eorundemque fama & meritis, procacissime judicantes videas; nullas alias artes præter solum sensum communem ad Philosophiam cognoscendam requiri, opinantes. Quæ misera philosophatrix turba, quanta mala & Philosophiæ & Philosophis sæpe dederit, dicere possem H. A. si longior nunc esse vellem, & non vosmet ipsi multa ejus rei exempla facile recordari possetis. O præclaras itaque Methodi Geometricæ spinas & cultura dignissimas, quibus septa Philosophiæ vineta, à vulgi aliquando, tanquam nocivi pecoris dentibus, liberantur!

Quod si cuncta hæc luce sunt meridiana clariora; quid tandem intempestive delicatuli isti,

quos tanta largitate quotannis Gallia fundit, gregatim nunc, tanquam leves cicadæ ventis ex Scythia advectæ, per universam Europam solidæ cognitionis fruges depopulantes: quid, inquam, in ista siccitate & stribligine Mathematica reperiunt, tantopere fastidiendum? Nunquam ne igitur tempora, loca, personas, fines distinguere; nunquam ne suum cuique tribuere discent? Hos si audiamus *bellos spiritus*, ut vocantur, eorundemque ineptos in Germania imitatores, omnem excellentiam laudemque in splendore illuminati apteque cadentis sermonis ponentes; ipse jam Newtonus etit contemnendus, quod *divinum Principiorum Philosophiæ naturalis* opus, non stilo populari, ad captum muliercularum, ad quarum obsequium cuncta isti referunt, perscripserit. Hic tamen tantus Vir, postquam librum tertium *de Systemate Mundi*, methodo primum populari composuerat, quo à pluribus legeretur, ut ipse refert; mutavit paulo post consilium, eundemque librum mathematico more ordinatum emisit; causam subjiciens, *ut is ab iis solis legeretur, qui principia didicissent, ne res in disputationes trahatur*. Præclare vidit magnus Vir, vidit, methodum popularem infinitis esse concertationibus obnoxiam, mathematicam vero consensionis stabilitatisque effectricem: iis proinde temporibus adhibendam, quando magnæ res extra disputationis aleam constituendæ. O causam bonam A. auctoritate Newtoni confirmatam! Etiamne nunc minorum hominum calumniis vexabitur, summi Viri & exemplo defensa? Sed sint hi, quoad placuerit, alienæ artis iniqui contemptores; nunquam tamen suæ pravitatis imitorem Philosophum facient. Prudens,

dens, idemque æquus omnium artium æstimator & iudex, neutiquam Oratores unquam aut Poetas stolidè carpet, quod suo non more scribant, sed ipsorum. Dum ipse soli intelligentiæ loquitur, non solum æquo animo, ut sensui atque imaginationi isti pingant, concedit; sed etiam, ut faciant hortatur; immo qua ratione facere aptissime possint, suis præceptis docet. Non itaque O. O. H. A. hic noster sapiens & bonus vir, ita barbarus est & omnis leporis impatiens existimandus, ut veniente cum Musis Homero, tanquam ad Sireneas voces ejusdem Ulysses, aures obturare, quam audire canentem malit; nec adeo caudex, ut ruente ad metam Pindaro non rapiatur: non adeo denique mens semper & ratio, ut nequeat fulminibus Demosthenis percelli; ut cum Tullio nunquam exardescat; ejusdemque lachrimis suas nunquam admisceat. Sentit hæc Philosophus, commovetur, delectatur, laudat, neque tamen rationis se ministrum oblitus, easdem sibi virtutes ridicule imitandas putat. Datum sibi meminit grande munus, veri certique systema generi humano aperiendi; perennem fontem, e quo sæcundantes rivuli ad omnes artes & disciplinas dimanent; ad hoc se revocat, hoc exequitur. Concurrant itaque ad hunc omnes quotquot populo prodesse delectando volunt. Veniat Orator: aperientur natura mentis & rerum, persuadendi artes, argumentorum loca sedesque: Veniat Poeta: accipiet lyrae sonum, & sententias carminis: Veniat quicumque alius ad exornandum idoneus; dabitur liberaliter quod ad communem utilitatem fructumque exornet. His utantur, his profint quam plurimis; ita fieri, generis humani interest.

Non vero hoc sibi licere putent, ut præceptorem redarguant, modumque Philosophiæ tractandæ à se discere jubeant. Nisi hoc forte contendant, Euclidi geometriam ab operario aut architecto perdiscendam esse; quoniam hi vendibiliorem Mathesin sub oculis vulgi exercent, multoque sunt plures, qui circinum & normam in officinis contrectant, quam qui regulas eorum, quæ isti faciunt, in schola Euclidis contemplantur. Non omnium idem munus est atque officium, nec in civitate, nec in litteris: det operam quisque, ut, quod suum est, recte agat; tum demum utrisque præclare consuletur.

Sed nondum ineptiarum satis est, AUDITORES. Ecce, nunc involat in Philosophum nostrum Grammaticorum iracundum genus, totaque clamosa gens institorum aureæ latinitatis; dudum in Academiis, nostris præsertim, sapientiæ monopolium affectans: propterque pauculorum verborum novationem universi, ut fabri quondam Ephesini, tumultuantur; in horribili trepidatione, ne quid fortè quæstuosa syllabarum nundinatio minuatur, Tullianarum vocum, quasi imaguncularum suarum, cultu neglecto. Sed pax sit rebus. Audite, Viri, vestro quidem judicio longe omnium Doctissimi, qui sensum communem audire non vultis, audite, inquam, vestrum Ciceronem, quem semper ediscitis, & nunquam intelligitis: “ (*) Stoicorum autem non
 „ ignoras quam sit subtile, vel spinosum potius,
 „ dis-

(*) De Finib. Lib. III. Cap. I.

„ differendi genus : idque cùm Græcis, tum ma-
 „ gis nobis, quibus etiam verba parienda sunt,
 „ imponendaque nova novis rebus nomina. Quod
 „ quidem nemo mediocriter doctus mirabitur,
 „ cogitans in omni arte, cujus usus vulgaris com-
 „ munisque non sit, multam novitatem nomi-
 „ num esse, cùm constituentur earum rerum vo-
 „ cabula, quæ in quaque arte versentur. Itaque
 „ & dialectici & phisici verbis utuntur iis, quæ
 „ ipsi Græciæ nota non sunt. Geometræ vero,
 „ musici, grammatici, etiam more quodam lo-
 „ quuntur suo. Item ipsæ rhetorum artes, quæ
 „ sunt totæ forenses atque populares, ver-
 „ bis tamen in docendo quasi privatis utun-
 „ tur ac suis. Atque, ut omittam tam has
 „ artes elegantes & ingenuas, ne opifices
 „ quidem tueri sua artificia possent, nisi vocabu-
 „ lis uterentur nobis incognitis, usitatis sibi. Quin
 „ etiam agricultura, quæ abhorret ab omni po-
 „ litiore elegantia, tamen eas res, in quibus ver-
 „ satur, nominibus notavit novis. Quo magis
 „ hoc Philosopho faciendum est. Ars est enim
 „ philosophia vitæ : de qua differens, arripere
 „ verba de foro non potest &c. &c., Quid ?
 „ satisne bono patrono uti videmur ad defenden-
 „ dam causam nostram ? Quid jam habetis dicere ;
 „ O sempiterna Romanorum mancipia ? Qui rati-
 „ oni obmurmuratis, vobis alienigenæ ; domini
 „ auctoritate nunc fracti, obmutescitis. Auditisne
 „ Philosophum de sua arte differentem verba de foro
 „ arripere non posse ? Quomodo igitur postulatis,
 „ ut de rebus subtilissimis, ab observatione vulga-
 „ ri, & quotidiano usu longissimè remotis, vulga-
 „ ribus vocibus & usitatis loquatur ? Scilicet, quæ
 „ quon-

quondam ratio Ciceronem impulit , ut de novis rebus scripturus nova verba conderet , eadem hodie ad idem non valebit ? Negatis : vestro enim iudicio , omnium ætatum inventionibus atque disciplinis , tanquam straminibus , aurea unius seculi vocabula anteferenda , quorum singulos apices miseranda industria Grammaticus Grammatico annumerat , & quorum copiosis indicibus scientiam veluti cauda tenetis. O præclaros litterarum custodes ! si vestra critica valeat ; universa Ontologia proscribenda , summis viris regina scientiarum ; ne vox barbara *Entis* , incognita Ciceroni , auribus accipienda. Psychologia in priscis arctissimis limitibus studiosè retinenda , quo priscis etiam vocabulis , vestris lexicis dignis , de anima semper philosophari liceat. Cum autem in Theologia naturali Dei *Aseitas* demonstranda ; ipsum numen potius ignorandum , quam tantum tanque inauditum probrum lingua nuncupandum. Itaque , vestris sententiis damnati , cludent auditoria Theologi , Jurisconsulti , Medici ; obmutescent artium omnium doctores , qui antiquis vocabulis in rebus novis suum munus tueri non possint. Quæ hæc tanta perversitas & intemperies ! Scientiarum modum Grammaticus definiet , & syllabarum auceps Philosopho leges præscribet ? Sed quid faciendum illis , qui , quam personam teneant , aut quid profiteantur , nondum intelligere potuerunt. Artificis est rebus nomina indere , Grammatici indita notare , & ex mente artificis vulgo interpretari : & (*) cum ipsis remigibus

Cicero

(*) Epist. ad Attic. 211.

Cicero auctoritatem in verbo quodam nautico concessit ; quoniam artifices adeoque loquendi magistros in hoc genere judicabat : credo , aliquo jure similis auctoritas , nobilissimo artifice Philosopho adimetur , isque de re rebus suis , non suo , sed alieno arbitrio , loqui cogetur. Quam perite ! ad constituendas igitur disciplinas vagantibus sibi que continuè obstrepentibus vocabulis utetur ; linguaque in ore vulgi adeo confusa , quasi turris alicujus Babylonicae , non perpetuitati destinata sapientiae aedificationem suscepisset. Novæ res nova vocabula gignere debent : numerumque verborum à numero rerum infinito intervallo superari , norunt omnes : qui poterit igitur omnium ætatum cognitio , unius ætatis verbis comprehendere ? Quod si hoc etiam nemo negat , verba rerum in mente repræsentatarum nuda signa esse ; cunctandum ne confiteri , ad cognitionem fixam & accuratam perveniri non posse , nisi res natura diversæ totidem diversis nominibus indigentur, Quoties ergo usitata non prostant , nova cuedenda , quæ definitionibus signata , sicut novi nummi , usu valebunt. Quod si ex analogia castè prudenterque fiat , quid est , quod cum ratione reprehendi possit ? Tum demum procax & barbarus mihi Philosophus videbitur , si aut inanes sensuque vacantes , aut gravidas jurgiis & concertationibus voces edat ; quod si vero res aperiantur graves , involutæ ad scientiarum amplificationem necessariæ , dignissimum mihi arte , quam proficitur , sonum fundere judicabitur. Equidem posset totus hic locus è præceptis *artis characteristica* repetitus , qua omnes linguæ reguntur , subtilius explicari , & cuncta , quæ de *Ουροματοποιία* tenenda sunt ,

sunt , accuratissimè demonstrari ; sed quid ego demonstrationes ad illos , qui præter etymon vocis nihil unquam de demonstratione sibi cognoscendum putarunt ? Qui , quoniam proprium iudicium ejurarunt , auctoritate eorum , qui suo utuntur , stare debent. Ecquisnam enim de vi , usu , potestateque verborum legitimè judicabit ? artifices - ne , qui res invenerunt ? an inertes , qui nullam unquam rem contrectant , quique in solis litteris punctisque , quasi vitæ tabernaculum posuerunt ? Sed ne prorsus imperio exuamus , quibus vita sine imperio nulla est : submittant sibi , quod paulò jam antè aliis concessimus , Philosophum popularem ; eumque sua ferula compellant , ut usitatis vocibus , qualemcunque doctrinam de rebus antè oculos positis vulgo imperitorum edisserat. Hominem scientificum autem , nimis altè supra humile ipsorum tribunal elatum , reveantur , sciantque , hujus sermonem tum demum perfectissimum verèque philosophicum futurum , si ab usu verborum , in quibus grammatica versatur , prorsus liberari , adque signorum Algebraicorum brevitatem , vim , & accuratationem possit traduci. Sed hos , qui universam Philosophiam apertè contemnere non erubescunt , & in quibus ad sanitatem revocandis jam plura secula operam perdiderunt , tanquam desperatos aliquos , dimittamus.

Hæc quidem , ut hætenus dictum fuit , ita omnium peritorum consensu se habent , AUDITORES , neque unquam , salva scientiarum stabilitate & magnitudine , constitui aliter possunt. Quod si autem quis sublimioris Philosophiæ cupidus

pidus quidem sit ; lamentetur tamen de tam aspera & injucunda semita , quam ituro ad scientiam , ab opinionum arbitrio sejunctam , præscribimus ; illi , AUDITORES , dolentes respondemus , quod Euclides quondam Ptolomæo Ægyptiorum Regi , sciscitanti , an non daretur amoenior aditus ad Geometriam , quam per sua Elementa : *μη εστι βασιλικη ατροπος επι γεωμετριαν* , non datur via regia ad scientiam.

Dixi haud pauca ; sed restarent multo plura de optima methodo philosophandi in Physicis , mirabili scientiæ progressionem proximis his temporibus comprobata . Ostendenda esset , cum diuturna hujus Philosophiæ partis infantia , vitio methodi , tum subitanea ejusdem adolescentia , efficacitate , vique artium experiundi . Quo in loco aperienda philosophandi ratio , quæ à summo viro ISAACO NEWTONO , *Newtonianæ* nomine condecorata fuit ; exponendum , quæ cuique pars hujus laudis tribuenda : docendumque , quod utraque Schola , cum Germanica , tum Britannica in rerum summa mirificè inter se consentiant , quodque prorsus eandem methodum probent ; sed altera maximè Physicam persequatur , altera Metaphysicam atque disciplinas morales ; eadem tamen philosophandi ratione & via . Dicenda quædam fuissent de officiis , cum Wolfiani , tum Newtoniani Philosophi , si nomen susceptum pro dignitate tueri velint . Denique pauca de me ipso , quod utrumque genus cognoscere studuerim ; at tamen , propter magnitudinem rerum , neque Wolfianum me , neque Newtonianum profiteri audeam : quod utriusque familiæ methodum ad-

scis.

sciscendam, & in omni philosophandi genere sanctè custodiendam putem; dogmatis autem ipsis non aliter serviendum, quam quatenus examina severissima, his ipsis methodis præscripta, sustinere queant. Sed hæc paucis expediri non possunt; adeoque in aliam orationem servanda, cujus occasio deesse non poterit. &c. &c.

